ſtationis ; ſed ſolum quando libere intellectus unius ordinat ſuum conceptum ad alterum, ut ei innoteſcat.

LII. Objiciunt quinto. Si locutio inter Angelos fieret per meram ordinationem conceptus, quem alter habeat in mente, malus Angelus nunquam poſſet alteri mentiri, aut eum decipere: ſed hoc eſt falſum; nam reipſa Angeli mali Spiritus fallaces ſunt, pleni dolo, & Diabolus eſt parens mendacii; ergo &c. Maj. probatur. Mentiri enim eſt aliud manifeſtare exterius, & aliud habere in mente interius: ſed ſi locutio Angeli fiat per directionem conceptus, quem Angelus habet in mente, ad audientem, nunquam Dæmon alloquendo alterum, manifeſtabit aliquid, quam id, quod habet in mente, nempe ſuum conceptum; ergo nunquam illi mentietur.

Reſp. negando maj. quæ camdem patitur inſtantiam apud Scotiſtas. Si enim Angelus malus alteri loquitur producendo in eo notitiam, vel ſpeciem objecti, quod ipſe cognoſcit, & vult, ut alter cognoſcat, nunquam mentitur; quia ſemper in eo producet notitiam, vel ſpeciem, quam in ſe habet. Sicut ergo Scotiſtæ dicent, quod ſi Angelus malus velit alteri mentiri, producet in illo notitiam, & ſpeciem diverſam, immo contrariam ei, quam habet in mente: ita in noſtra ſententia Dæmon volens alteri mentiri, conceptum, quem intra ſe habet, retinebit, & formabit alium conceptum oppoſitum, quem ad alterum diriget, quo neget ſe habere conceptum, quem revera habet, vel affirmet, ſe habere oppoſitum, præſertim de ſupernaturalibus, aut futuris contingentibus, affirmando ſe ſcire, quæ non ſcit, vel neſcire, quæ ſcit; vel manifeſtando ſubſtantiam rei, & non circumſtantiam, in quibus omnibus mendacium eſt ac deceptio.

Hæc ad notitiam Angelorum Candidato noſtro ſatis ſuperque ſint. Alia dicenda eſſent de eorum miniſterio circa homines, maxime de eorum Cuſtodia, & impugnatione; ſed hæc, quia ad hominem ſpectant, ſequenti Tractatui, quem de homine inſtituemus, inſerenda reſervabimus.

TRACTATUS DECIMUS
DE HOMINE
ET EJUS STATIBUS.

HOMO, ſubſtantia & natura quædam eſt in confinio rerum ſpiritualium, & corporalium conſtituta, conſtans nempe ex ſpiritu, & corpore. Quare Concil. Lateranenſe IV. Cap. Firmiter, ait: *Firmiter credimus, & confitemur ... quod Deus ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam.* Hac ratione S. Auguſtinus Epiſt. 3. modo 137. ad Voluſianum cap. 3. *Perſona* (inquit) *hominis, mixtura eſt animæ, & corporis; Perſona autem Chriſti, mixtura eſt Dei, & hominis.* Et D. Gregorius lib. 6. Moral. cap. 16. alias 8. *Univerſitatis* nomine, & *omnis creaturæ* hominem appellat, dicens: *omnem creaturam ſolum intelligi hominem voluit, commune aliquod cum omnibus creavit.* Et Damaſcenus Libro de duabus Voluntatibus ait: *Homo itaque Mundus minor eſt .... eſt enim cum viſibilis, tum inviſibilis, ſive ſentientis & intelligentis creaturæ vinculum.* Proindeque in opere creationis deducit, ut poſtremus eſſet homo, tamquam omnium creatarum rerum epilogus, & compendium. De homine ſermonem aggredientes, ejus conditionem, ſeu formationem, ac formationis circumſtantias, ſtatum in quo formatus fuit, lapſum ab illo ſtato, & mala quæ inde contraxit, in toto hoc Tractatu examinabimus cum Div. Thom. 1. *par. qu.* 90. uſque *ad* 102. aliqua pro coronide dicturi cum eodem D. Thom. 1. *par. qu.* 111. *ad* 114. de eodem comparate ad Angelos, ſive bonos, ſive malos.

QUÆSTIO I.

De formatione Hominis.

CReatis una cum terra Cælis, hiſque ſuis luminaribus ordinatis, diviſis, & congregatis aquis, terra plantis veſtita, animalibus productis, abſolutis omnibus ad rerum creationem, ac Mundi opificium ſpectantibus, ſexta die hominis formationem narrat Moyſes *Gen.* 1. *ver.* 26. *&c.* eamque deſcribit *cap.* 2. *ver.* 7. ut domo jam conſtructa, eſſet, qui eam habitaret, eique præeſſet. Unde Nazianzenus Orat. 43 *Conſtruendum enim* (inquit) *prius, tamquam Regi, palatium erat, atque ita Rex introducendus omni jam ſuo ſatellitio ſtipatus.* Hæc ergo erit hujus quæſtionis argumentum.

DUBIUM I.

De formatione primi Hominis quoad corpus, & Animam.

§. I.

Formatio corporis primi Hominis.

I. AGens de formatione corporis primi hominis Moyſes *Gen.* 2. *ver.* 7. ait: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ. Formavit*, inquam, ideſt inſtar figuli plaſmavit, ſeu *finxit*, ut Auguſtinus exponit *lib.* 13. *de Civ. Dei*, *cap.* 24. Unde Job 10. ver. 8. *Manus tuæ* (inquit) *fecerunt me, & plaſmaverunt me.* Hinc primus homo vulgo *Protoplaſtus*, ideſt primus plaſmatus. *Hominem* hic per Synecdochen ponit, totum pro parte, hominem pro corpore: *Hominem autem memento carnem proprie dici, quæ prior vocabulum hominis occupavit*, monet Tertullianus *lib. de Reſurrect. carnis cap.* 5. Additur autem *Dominus Deus*, ut Manichæis os obſtruatur, qui carnem, & corpus hominis a malo principio eſſe dicebant.

Subjungitur: *de limo terræ*: ideſt, ut exponit Auguſtin. loco citato, de pulvere humefacto, & ex humore terraque concreto, hoc enim proprie ſignificat limus. Porro *terra* hebraice dicitur *Rubra*, ut carnem humanam quodammodo colore referat. Quibus etiam Manichæi refutantur, qui ponentes quinque elementa, ex quibus omnia facta fuerunt, nempe fumum, tenebras, ignem, aquam, & ventum; cenſebant, de fumo nata animalia bipedia, & inter iſta homines. Ita refert S. Auguſtin. *lib. de Hæreſ. cap.* 46. Refutantur, inquam, dum homo, non ex fumo, ſed ex limo terræ formatus dicitur.

II. Quare autem, cum corpus humanum ſit corpus mixtum ex quatuor elementis, dicatur, formatum ex limo, nempe ex terra, & aqua; rationem tradit Div. Thom. 1. *par. qu.* 91. *art.* 1. Quia in corpore humano terræ, & aqueæ partes magis abundant ſecundum quantitatem. Si enim ignis, & aer, quæ ſunt majoris virtutis in agendo, abundarent ſecundum quantitatem in corpore humano; omnino ad ſe traherent alia, & non haberetur æqualitas complexionis. Hinc eſt, quod homo frequenter, vel comparatur luto, vel vocatur lutum, ut Iſaiæ 45. ver. 9. *Væ qui contradicit fictori ſuo teſta de ſamiis terræ. Numquid dicet lutum figulo ſuo: quid facis &c* Cap. 64 ver. 8. *Domine, pater noſter es tu, nos vero lutum: & fictor noſter tu &c.* Et Jerem. 18. ver. 6. *Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea, domus Iſrael.*

§. II.

Quæ obſtare videntur, ſolvuntur.

III. SEd dices. Eidem formæ debetur idem perfectibile: ſed forma humani corporis, quia ſpiritualis convenit cum forma ſeparata, quæ movet corpus Cæli, nempe Angelo; ergo ſimile corpus, naturæ ſcilicet cæleſtis, congruentius ei debuiſſet aſſignari; eo vel maxime, quia homo corporibus Cæleſtibus nobilitate præſtat.

IV. Reſp. D. Thom. 1. *par. qu.* 91. *art.* 1. *ad* 2. *& in* 2. *Sent. diſt.* 17. *qu.* 3. *art.* 1. *in corp.* Quorumdam opinionem fuiſſe aliquid de natura corporis Cæleſtis venire in compoſitionem humani corporis eſſentialiter, quaſi concilians elementa; & hoc dicunt eſſe lucem, quam dicunt, corpus eſſe. Sed hoc improbat D. Thomas, quia falſum eſt lucem eſſe corpus. Tum quia, etſi corpus eſſet, non poſſet elementis permiſceri, & dividi propter corporis Cæleſtis impaſſibilitatem. Unde non venit in compoſitionem corporum mixtorum, niſi per effectum virtutis ſuæ; eo quod corpus Cæli eſt primum alterans, cujus virtute omnes alterationes ad ſuos fines diriguntur.

V. Aliter ergo S. Doct. diſtinguit maj. Perfectibile, conveniens tamen ad operationes, quas in eo exercere debet, conc. maj. Aliter, nego maj. Ait ergo 1. *par. qu.* 91. *art.* 1. *ad* 2. quod *quamvis corpus Cæleſte ſit ſimpliciter nobilius terreſtri corpore; tamen quantum ad actus animæ rationalis eſt minus conveniens. Nam anima rationalis accipit notitiam veritatis quodammodo per ſenſus, quorum organa formari non poſſunt ex corpore Cæleſti, cum ſit impaſſibile.* Et *art.* 3. ejuſdem quæſtionis, ait, Deum in formatione rerum ſe habuiſſe velut artificem. *Quilibet autem artifex intendit ſuo operi diſpoſitionem optimam inducere non ſimpliciter, ſed per comparationem ad finem. Et ſi talis diſpoſitio habet ſecum adjunctum aliquem defectum, artifex non curat: ſicut artifex, qui facit ſerram ad ſecandum, facit eam ex ferro, ut ſit idonea ad ſecandum, nec curat eam facere ex vitro, quæ eſt pulchrior materia; quia talis pulchritudo eſſet impedimentum finis ... finis autem proximus humani corporis eſt anima rationalis, & operationes ipſius &c.*

VI. Perfectiſſimum ergo corpus, quale conveniebat fini, ad quem formabatur, fuit illud, quod in primo homine Deus formavit. Immo in ſtatu & diſpoſitione perfectiſſima, ut ſtatim poſſet operari, generare, filios educare, Mundo præſidere. Id clare indicat Scriptur. *Gen.* 2. *ver.* 16. quæ de Adamo vix formato dicit: *Et poſuit eum in Paradiſo voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret illum.* Maſculo pariter, & feminæ vix creatis *cap.* 1. *ver.* 28. dictum legimus: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris &c.* Deinde cum *cap.* 2. *ver.* 25. dicatur: *Erat autem uterque nudus; Adam ſcilicet, & uxor ejus, & non erubeſcebant*: clarum teſtimonium eſt, eos fuiſſe in ætate virili: nam in infantili, mira non eſſet non erubeſcentia illa. Et hoc confirmatur: quia poſt peccatum cap. 3. ver. 7. *cum cognoviſſent ſe nudos*, erubuerunt. Addo quod ſi cætera omnia, plantæ & animalia in ſtatu perfecto a Deo prodiere, idem de homine dicendum eſt.

VII. Ne tamen quis putet, mora temporis formatum fuiſſe ex limo corpus illud, quin potius in unico inſtanti. Nam hoc decet ſummam Dei plaſmatoris majeſtatem, qui, ſi inſtanti aquam in vinum convertit in Canæ nuptiis, & in cœna vinum tranſubſtantivit in ſuum ſanguinem: quidni credamus, momento quoque ex limo feciſſe corpus hominis, immo totum hominem animam, & corpore conſtantem? Quare ſit

DUBIUM II.

De formatione Hominis quoad Animam.

§. I.

An corpus prius factum fuerit, quam Anima?

I. MOyſes poſt quam dixit Gen. 2. v. 7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*, ſubjunxit: *& inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Hoc modo loquendi exiſtimarunt aliqui (ait Div. Thom. 1. par. qu. 91. art. 4. ad 3.) *corpus hominis prius tempore formatum, & poſtmodum Deum formato jam corpori animam infudiſſe.*

Sed hoc improbat S. Doct. Nam *contra rationem perfectionis primæ inſtitutionis rerum eſt, quod Deus vel corpus ſine anima, vel animam ſine corpore fecerit; cum utrumque ſit pars humanæ naturæ. Et hoc etiam eſt magis inconveniens de corpore, quod dependet ex anima, non e converſo.*

Et ideo ad hoc excludendum, quidam poſuerunt, quod cum dicitur: formavit Deus hominem, *intelligitur productio corporis ſimul cum anima. Quod autem additur*: Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, *intelligitur de Spiritu Sancto, ſicut & Dominus inſufflavit in Apoſtolos, dicens*: Accipite Spiritum Sanctum *Jo.* 20. *ver.* 22.

Hanc tamen intelligentiam S. Doct. non admittit, dicens: *Sed hæc expoſitio, ut dicit Auguſtinus in lib.* 13. *de Civit. Dei* (cap. 24.) *excluditur per verba Scripturæ. Nam ſubditur ad prædicta;* Et factus eſt homo in animam viventem, *quod Apoſtolus* 1. *ad Cor.* 15. *non ad vitam ſpiritualem, ſed ad vitam animalem refert.*

Per ſpiraculum ergo vitæ intelligitur anima: ut ſic, quod dicitur: Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, *ſit quaſi expoſitio ejus, quod præmiſerat; nam anima eſt corporis forma.* Quaſi diceret: homo, quem Deus formavit ex limo, fuit corpore, & ſpiraculo vitæ conſtans, & corpus, ſeu homo vivens.

§. II.

An Anima prius facta fuerit, quam corpus?

II. AN vero primi hominis anima fuerit ante corpus prius tempore producta; Reſpondet S. Thomas 1. *par. qu.* 90. *art.* 4. quod Origenes (*lib.* 1. *Periarchon cap.* 7. *&* 8.) poſuit, non ſolum animam primi hominis, ſed animas omnium hominum ante corpora ſimul cum Angelis creatas ab initio. Putavit enim, omnes ſpirituales ſubſtantias, tam animas, quam Angelos æquales eſſe ſecundum naturæ conditionem, & ſolum merito diſtare; ideoque illæ, quæ meruerunt, in ſui puritate ſecundum diverſos ordines remanſiſſe; quæ vero demeruerunt, fuiſſe corporibus alligatas, veluti carceri: & has eſſe animas hominum, vel cæleſtium corporum, quæ ſecundum quod gravius peccaverunt, vel minus graviter in magis vel minus nobile corpus detruſæ fuerunt.

III. Sed hanc opinionem reprobat S. Doct. 1. *par. qu.* 47. *art.* 2. Nam ſecundum hoc univerſitas, & diſtinctio creaturarum non eſſet propter bonitatem Dei communicandam, ſed ad puniendum peccatum. Quod eſt contra illud, quod dicitur Geneſis 1. ver. 31. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Eam irridet S. Auguſtinus (a D. Thom. relatus) *lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 23. Nam ſi hoc eſſet verum, Dæmones, qui gravius peccaverunt, debuiſſent non in aerea detrudi corpora, ſed in terrena, & viliora potius, quam homines malos. Deinde ſi anima, quæ poſita eſt in corpore ſolari, ſic poſita eſt in eo, quia ita peccavit, ut in corpore ſolari potius, quam alio, ut in carcere poni meruerit; ergo ſi centum animæ eodem modo peccaſſent, centum Soles haberemus. *Quid autem ſtultius dici poteſt, quam per iſtum Solem, ut in uno Mundo unus eſſet, non decori pulchritudinis, vel etiam ſaluti rerum corporalium conſuluiſſe artificem Deum, ſed hoc potius eveniſſe, quia una anima ſic peccaverat, ut tali corpore mereretur includi? At per hoc ſi contigiſſet, ut non una, ſed duæ; immo non duæ, ſed decem, vel centum ſimiliter, æqualiter que peccaſſent, centum Soles haberet hic Mundus. Quod ut non fieret, non Opificis proviſione mirabili ad rerum corporalium ſalutem, decoremque conſultum eſt, ſed contigit potius tanta unius animæ progreſſione peccantis, ut ſola corpus tale mereretur.*

IV. Hanc opinionem propterea tamquam fabulam exſibilabat S. Leo *Epiſt.* 93. *cap.* 10. docens, opinionem Priſcillaniſtarum paria cum Origene ſentientium, eſſe impietatis fabulam; quodque omnes ejus aſſertores Catholica fides a corpore ſuæ veritatis abſcidit, conſtanter prædicans, atque veraciter, quod animæ hominum, priuſquam ſuis inſpirarentur corporibus, non fuere. Ratio autem ea eſſe poteſt: quia omnis res quæ a Deo producitur, producitur in ſuo ſtatu naturali perfecto: ſed anima rationalis (quæ ſecundum ſe, & eſſentialiter eſt forma corporis, ut in Conc. Viennenſ. definitum eſt) non habet ſuum ſtatum perfectum, niſi in corpore; ergo non eſt creata, niſi in corpore. Videri poteſt S. Cyrillus *lib.* 1. *in Jo. cap.* 9. Theophylus Alexandr. *lib.* 2. *Paſchal.* apud Div. Hieron. & Div. Thom. *qu.* 3. *de Pot. art.* 10. ubi ſolvit argumenta, quæ in contrarium poſſent afferri, & *lib.* 2. *Cont. Gent. cap.* 84.

Attamen Origeniſtis favere videtur illud Sap. cap. 8. ver. 19. & 20. *Puer autem eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam. Et cum eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.*

V. Sed immerito. Nam ſecundum Origenem, animæ, quæ extra corpus bonæ fuerunt, non venerunt ad corpus, ſed extra corpus manſerunt. Verba ergo illa de Salomone intelligenda ſunt, & faciunt ſenſum: cum ſortitus eſſem Dei munere puer animam ad bonum propenſam, & virtutis exercitatione magis in bono proficerem, ad hoc progreſſus ſum, ſeu ad hoc veni ut corporis quoque munditiem, & caſtitatem dono Dei comparaverim.

VI. Alia opinio (ait S. Thom. *qu.* 90. 1. *par. art.* 4. *citato*) fuit S. Auguſtin. qui *in* 7. ſuper Gen. *ad litter. cap.* 24. dicit: *quod anima primi hominis ante corpus cum Angelis eſt creata ob aliam rationem: quia ſcilicet ponit, quod corpus hominis in illis operibus ſex dierum non fuit productum in actu, ſed ſolum ſecundum cauſales rationes; quod non poteſt de anima dici ... Et ideo videtur, quod ipſamet anima in quibus omnia facta fuerit creata; & quod poſtmodum propria voluntate inclinata fuit ad corpus adminiſtrandum.* Ita S. Thom. Qui tamen addit: *Sed hoc non dici aſſerendo, ut ejus verba demonſtrant; dicit enim* (loc. citato) Credatur, ſi nulla Scripturarum auctoritas, ſeu veritatis ratio contradicit. Quemadmodum de aliis pluribus, quæ in præfatis libris ſuper Geneſim dixerat, ſe expreſſit lib. 2. *Retract. cap.* 24. *Et lib.* 12. *de Civit. Dei cap.* 23. in noſtram, & communem ſententiam ſe veniſſe oſtendit, dum ait: *Et cum virum terreno formaſſet ex pulvere, eique animam qualem vixi, ſive quam jam fecerat, ſufflando indidiſſet, ſive potius ſufflando feciſſet, eumque flatum, quem ſufflando fecit (nam quid eſt aliud ſufflare, quam flatum facere?) animam hominis eſſe voluiſſet &c.* En ergo quomodo ſi aliquando Auguſtinus animam creatam dixit priuſquam corpori uniretur; non aſſerendo, ſed pure opinando dixit.

DUBIUM III.

An Anima humana ſit de ſubſtantia Dei?

§. I.

Veritas Catholica.

I. ANimam humanam factam fuiſſe de ſubſtantia Dei exiſtimarunt Ethnici non pauci. Quorum error, ut docet D. Thomas hac 1. *par. qu.* 90. *art.* 1. ex eo procedebat, quod, vel putabant, Deum eſſe corpus omnium aliorum principium, & de natura hujus principii eſſe animam: vel etſi Deum incorporeum apprehenderent, non tamen cogitabant, eſſe a corpore ſeparatum, ſed corporis formam. Unde Varro dixit, quod Deus eſt *anima Mundum intuitu, vel motu & ratione gubernans*, ut Auguſtinus narrat *lib.* 7. *de Civit. Dei cap.* 6.

Ex hæreticis autem, Gnoſtici animam humanam eſſe de ſubſtantia Dei dogmatizarunt, teſte Auguſtin. *lib. de Hæreſ. cap.* 6. & Manichæi *cap.* 46. & poſt eos Priſcillianiſtæ miſera Gnoſticorum, & Manichæorum proles *cap.* 70.

II. Verum fides Catholica docet, animam non eſſe de ſubſtantia Dei, nec partem aliquam ſubſtantiæ ejus: ſed eſſe ſubſtantiam creatam, a Deo factam. Probatur. De anima humana in Scripturis multa dicuntur, quæ ſubſtantiæ Dei impropria, immo indigna ſunt, nempe quod ſit triſtis, & conturbet, Pſalm. 41. ver. 6. *Quare triſtis es anima mea? Et quare conturbas me?* Quod ſperet in Deo: *Spera in Deo.* Quod conturbetur, ibi ver. 7. *Anima mea conturbata eſt.* Quod peccet & moriatur, Ezechiel. 18. ver. 4. *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.* Quod perdatur, Joann. 12. ver. 25. *Qui amat animam ſuam, perdet eam.* Quod ſanetur, Pſalm. 40. ver. 5. *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Quod ſalvetur, Jacobi 1. ver. 21. *Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.*

III. Propterea S. Auguſtinus lib. 2. de Geneſi contra Manichæos cap. 8. *Sic ergo* (ait) *debemus intelligere hunc locum, ut non quia dictum eſt*, Inſufflavit in eum ſpiritum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem, *credamus, illam veluti partem naturæ Dei in animam hominis fuiſſe converſam, & cogamur dicere, naturam Dei eſſe mutabilem: in quo errore maxime iſtos Manichæos veritas premit. Sicut enim mater eſt omnium hæreticorum ſuperbia, auſi ſunt dicere, quod natura Dei ſit anima. Et hinc urgentur a nobis, cum eis dicimus; ergo natura Dei errat, & miſeria eſt, & vitiorum labe corrumpitur, & peccat, aut etiam, ut vos dicitis natura contraria ſordibus inquinatur: & cætera talia, quæ de natura Dei nefas eſt credere.*

Nam factam eſſe animam ab Omnipotente Deo, & ideo non illam eſſe partem Dei, vel naturam Dei, manifeſte alio loco ſcriptum eſt, dicente Propheta (Pſalm. 32. ver. 15.) Et qui finxit ſpiritum hominis, ipſe fecit omnia. *Et alio loco*: (Zach. 12. 1.) Qui finxit ſpiritum hominis in ipſo. *Ergo factum eſſe*

eſſe ſpiritum hominis manifeſte his teſtimoniis approbatur. Spiritus autem hominis in Scripturis dicitur ipſius animæ potentia rationalis, qua diſtat a pecoribus, & eis natura lege denominatur. De quo dicit *Apoſtolus* (1. Cor. 2. v. 11.) Nemo ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. *Ne forte ſi probaretur his teſtimoniis, animam factam eſſe, non deeſſent qui dicerent, ſpiritum hominis non eſſe factum, & ipſum arbitrarentur eſſe naturam Dei, & in ipſum dicerent partem Dei eſſe converſam, cum illa inſufflatio Dei facta eſt. Quod ſana doctrina ſimiliter reſpuit; quia & ipſe ſpiritus hominis, cum aliquando errat, & aliquando prudenter ſapit, mutabilem ſe eſſe clamat; quod nullo modo de natura Dei fas eſt credere. Non autem poteſt majus ſignum eſſe ſuperbiæ, quam ut dicat, ſe humana anima hoc eſſe quod Deus eſt, cum adhuc ſub tantis vitiorum, & miſeriarum molibus gemat.* Sic Manichæos arguebat Auguſtinus. Anima, nimirum hominis, mutabilis eſt, errat, miſera eſt, vitiorum labe corrumpitur, peccat, contrariæ naturæ ſordibus inquinatur: demum etiam nomine *Spiritus hominis* ſignificata, a Deo facta eſt; ergo de ſubſtantia Dei eam eſſe, nefas eſt credere.

IV. Hunc inter alios errorem reprehendit, & confutat adverſus Vincentium Victorem illum aſſerentem, idem S. Aug. *l. 3. de Anima & ejus origine c. 3. & c. 15.* repetens ejuſdem Vincentii aſſerta undecim; quorum primum erat, quod *animam non ex nihilo, ſed de ipſo Deum feciſſe* diceret; vocat ea *multum, aperteque perverſa, & fidei Catholicæ adverſa.*

V. Jure igitur hunc errorem damnavit Catholica Eccleſia. Concilium Toletanum I. anno 400. in profeſſione fidei Canon. 11. ſic definit. *Si quis dixerit, vel crediderit, animam humanam Dei portionem, vel Dei eſſe ſubſtantiam, anathema ſit.* Et Bracarenſe I. anno 551. Can. 5. *Si quis* (inquit) *animas humanas, vel Angelos ex Dei credit ſubſtantia extitiſſe, ſicut Manichæus, & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.* Quibus adde S. Leonem ubi varios errores referens, ait: *Quinto Capitulo refertur, quod animam hominis divinæ aſſerant eſſe ſubſtantiæ, nec a natura Creatoris ſui conditionis noſtræ diſtare naturam. Quam impietatem ex Philoſophorum quorumdam, & Manichæorum opinione manantem, Catholica fides damnat.*

VI. Probat Catholicam veritatem D. Thom. 1. *p. q. 90. a.* 1. ſic. Anima humana eſt quandoque intelligens in potentia, & ſcientiam quodammodo a rebus acquirit, & habet diverſas potentias: ſed hæc omnia aliena ſunt a Dei natura, qui eſt actus purus, & nihil ab alio accipiens, & nullam in ſe diverſitatem habens; ergo &c. Unde Auguſtin. *Epiſtol.* 28. modo 166. *ad Hieron. cap. 2.* ait: *non eſt pars Dei anima. Si enim hoc eſſet, omni modo incommutabilis, atque incorruptibilis eſſet. Quod ſi eſſet, nec* deficeret in deterius, nec proficeret in melius, nec aliquid *in ſemetipſa, vel inciperet habere, quod non habebat, vel deſineret habere, quod habebat, quantum ad ejus ipſius affectiones pertinet. Quam vero aliter ſe habeat, non opus eſt extrinſecus teſtimonio: quiſquis ſeipſum advertit, agnoſcit.*

§. II.

Manichæorum momenta.

VII. SEd quia dicebat, hanc mutationem, cæteraſque infirmitates non ex ipſa illi eſſe, ſed ex corpore;

Reſpondet S. Auguſt. ibi, parum referre, unde anima mutetur; cum, ſi eſſet ſubſtantia Dei, nec a ſe, nec ab alio mutari poſſet. *Quid intereſt, unde ægrotet, quæ ſi eſſet incommutabilis, undelibet ægrotare non poſſet? Nam quod vere incommutabile, & incorruptibile eſt, nullo rei acceſſu commutari, vel corrumpi poteſt. Alioquin non Achillea tantum, ſicut fabulæ ferunt, ſed omnis caro eſſet invulnerabilis, ſi nullus ei caſus accideret. Non eſt itaque natura incommutabilis, quæ aliquo modo, aliqua cauſa, aliqua parte mutabilis eſt. Deum autem nefas eſt, niſi vere, ſummeque incommutabilem credere. Non eſt igitur anima pars Dei.*

VIII. Sed dicent. Lumen rationale, quod eſt anima rationalis, eſt quædam participatio divini luminis: ſed participare eſt partem capere; ergo anima eſt pars, & portio divini luminis. Unde Manichæi teſte D. Thom. hoc art. 1. *Deum eſſe quamdam lucem corpoream exiſtimantes, quamdam partem illius lucis animam eſſe poſuerunt corpori alligatam.*

IX. Sed hæc inſtantia probaret, omnia creata eſſe partem ſubſtantiæ Dei; quia omnia participant aliquid a Deo, ſaltem *eſſe*. Aliud ergo eſt participare aliquid a Deo, aliud participare aliquid de Deo; ſicut aliud eſt fieri a Deo, aliud fieri de Deo. Primum dicit, Deum eſſe primam cauſam efficientem, a qua omnia quæ ſunt, habent eſſe: & hoc modo anima humana eſt participatio divini luminis; quia lumen, quod in ea eſt, eſt exemplatum quoddam imperfectum imitans divinæ intelligentiæ lumen, ſicut imago imitatur ſuum prototypum. Secundum vero dicit, Deum eſſe cauſam materialem, ex qua diviſa in partes fiant res, & inter cæteras ex portione ejus facta fuerit anima hominis. Quod, etſi dicerent Manichæi, impie loquebantur; quia Deum corporeum, & diviſibilem faciebant.

X. Hanc deceptionem, ut a Vincentio Victore averteret S. Auguſtin. *l. 3. de Anima & ejus origine cap. 3.* ſic eum monebat: *Qua impietate ut careas, ita oportet, ut dicas, animæ Auctorem Deum, ut ab illo facta ſit, non de illo. Quod enim de illo eſt, ſicut Unigenitus Filius, ejuſdem naturæ, cujus & ille eſt. Ut anima ejuſdem naturæ non ſit, cujus eſt ille, facta eſt quidem ab illo, ſed non de illo.*

XI. Reſpondebant. De formatione animæ dicitur (*Gen. 2. v. 7.*) quod Deus *inſpiravit in faciem ejus* (Adæ) *ſpiraculum vitæ: & factus eſt homo in animam viventem*: ſed ille, qui ſpirat, aliquid de ſe emittit; ergo anima, qua homo vivit, eſt aliquid de ſubſtantia Dei.

XII. Sed reſpondet S. Thom. hac q. 90. art. 1. ad 1. *quod inſpirare non eſt accipiendum corporaliter. Sed idem eſt, Deum inſpirare, quod ſpiritum facere. Quamvis & homo corporaliter ſpirans, non emittat aliquid de ſua ſubſtantia, ſed de natura extranea.* Utramque reſponſionem dederat Vincentio S. Aug. laudato loco: *Quid eſt quod dicis,* eam particulam eſſe quamdam halitus naturæ Dei? *Nunquidnam ipſum halitum naturæ Dei, cujus halitus eſt iſta particula, negas ejuſdem cujus Deus eſt, eſſe naturæ? Si negas; ergo de nihilo, & iſtum halitum fecit Deus, cujus halitus animam vis eſſe particulam. Aut ſi non de nihilo, dic, unde illum fecerit Deus: Si de ſeipſo, ergo ipſe eſt, quod abſit, materies operis ſui.* Deinde oſtendens, & nos, cum halitum emittimus, non de noſtra ſubſtantia, ſed de extranea emittere, ait: *Deum quippe dicis incorporeum, non de nihilo a ſe factam, ſed de ſeipſo animam ſufflare corpoream: cum flatum nos, licet corporeum, ſubtiliorem tamen emittamus, quam noſtra ſunt corpora; nec eum de anima noſtra: ſed de hoc aere per viſcera corporis exhalemus. Pulmones quippe anima, cujus nutu moventur etiam cætera corporis membra, ad hunc aerium ſpiritum ducendum, atque reddendum, ſicut folles movet.* Sicut ergo halitus hominis non eſt de ſubſtantia hominis, ſic nec halitus Dei erit de ſubſtantia Dei; ergo ſi anima eſt halitus Dei, non erit de ſubſtantia Dei. Vide quoque eumdem *l. 7. Gen. ad lit. cap. 2. & 3. & D. Th. in 2. Sent. diſt. 17. q. 1. art. 1. ad 1.*

XIII. Nec obſtat, quod *Act. 17. v. 28. & 29.* dicatur, nos eſſe *genus Dei*. Nam reſpondet D. Thom. loco ex 2. Sent. citato ad 2. *Quod dicimur nos eſſe genus Dei quantum ad animam, non ita quod anima ſit de divina eſſentia; ſed quia participat naturam intellectualem, quæ etiam in Deo eſt, quod etiam dicitur ad imaginem Dei.* Unde *q. 1. de Verit. art. 4. ad* 8. dicit, genus largo modo ſumi, *accipiendo genus ſecundum quod omnia intelligibilia, vel incorporalia unius generis eſſe dicuntur, per modum quo dicitur Act. 17. Ipſius enim Dei, & nos genus ſumus.*

Dici etiam poteſt, Paulum ſumpſiſſe ibi *genus* pro *genitura*, & dixiſſe nos eſſe genus Dei, ideſt *progeniem*; ut ſignificaret, Deum non ſolum eſſe Opificem noſtri, ut eſt rerum, quamvis inanimatarum, ſed etiam eſſe Parentum; ideoque cognatione quadam nos homines illi eſſe conjunctos, utpote ejus, nedum opus, ſed progeniem; quia ita ab illo conditos, ut ſimilitudine naturæ ipſum referamus, utpote mente, & arbitrio (ipſe imprimis pollet) ab eo donati.

Dubium IV.

An Anima ſit ſpiritualis, & immortalis?

§. I.

Anima hominis eſt ſpiritualis.

I. STatuto, Animam, ſeu *ſpiraculum vitæ* a Deo primo homini inſpiratum, non fuiſſe portionem ſubſtantiæ Dei, relinquitur ut ſit aliquid a Deo in homine factum. Nunc de modo, quo factum fuit, agemus, cum D. Thoma *q. 99.* citata *a. 2. & 3.* an ſcilicet per creationem, & ab ipſo immediate.

Priuſquam tamen ad reſolutionem Dubii deveniamus duo exiſtimo ſtabilienda. Primum: animam humanam eſſe ſubſtantiam omnino ſpiritualem, & materiæ expertem. Et ſecundum: eam eſſe incorruptibilem, & immortalem. Primum præſenti §. reſolvitur, ſecundum vero in ſequenti: quibus parabitur via ad reſolutionem principalem. Breviter tamen hic procedemus, cum de hoc Philoſophi fuſe agere ſoleant in octavo Phyſicorum.

II. Circa igitur animæ ſubſtantiam non ſolum errarunt Gentiles Philoſophi, qui eam corporeum quid affirmabant. *Nam* (referente Sancto Juſtino Mart. Cohortat. ad Græcos, pag. 8.) *quidam eorum animam ignem eſſe aſſeverant: quidam alii aerem, alii mentem, alii notionem, alii exhalationem; nonnulli vero vim ab aſtris defluentem: quidam numerum movendi poteſtatem obtinentem; alii aquam genitalem.* Verum etiam ex Chriſtianis erravit Tertullianus, ut conſtat ex pluribus ejus locis, maxime tamen *lib. de Anima a cap. 5. uſque ad 11. &c.* & hoc probare conatus fuit, non ſolum Philoſophicis rationibus, ſed etiam Scripturis; & præſertim *cap. 7.* exemplo animarum Divitis in Inferno poſiti, & Lazari in ſinu Abrahæ exiſtentis *Luca 16.* de quo infra dicemus. Ad hunc autem errorem tuendum etiam inductus fuit ex nimia credulitate falſæ cujuſdam mulieris revelationi, quam refert eodem *lib. de Anima cap. 9.* aſſerentis, ſe viſu prophetico a ſenſibus alienatam, animam vidiſſe tamquam aerii, & lucidi coloris: quæ tamen mulier eſto foret, & ipſa Montaniſticæ Sectæ (ut obſervat Pamelius *in Antidoto ad Tertulliani Paradoxa num.* 7.) non fuit Priſcilla, aut Maximilla, quæ jamdudum antea ſuſpendio perierant, ſed quædam earum Diſcipula. Hoc errore Tertullianum notat S. Auguſtinus *l. de Hæreſ. c.* 85. & *l. 10. de Geneſ. ad litt. c. 25. & 26.* quibus tamen in locis eum excuſare conatur, dicens: *Corpus eſſe animam credidit, non ob aliud, niſi quod eam incorpoream cogitare non potuit; & ideo timuit, ne nihil eſſet, ſi corpus non eſſet, nec de Deo valuit aliter ſapere.* Mirum ergo non eſt, qui nequit cogitare Deum, niſi corporeum, animam niſi corpoream cogitare valuiſſe.

III. Dico tamen. Anima primo homini infuſa, & quæ omnibus hominibus infunditur, eſt in ſe prorſus ſpiritualis, & corporis, ſeu materiæ omnino expers. Eſt de fide. Et probatur ex Scriptura, quæ eam vocat ſpiritum. Eccleſiaſtis 12. verſ. 7. *Et revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Unde Auguſtinus *lib. 12. de Gen. ad litter. cap.* 32. ait: *Jam utrum habeat aliquod corpus, cum de hoc corpore exierit, oſtendat, qui poteſt, ego autem non puto: ſpiritualem enim arbitror eſſe, non corporalem.* Rurſus 1. *Cor. cap. 2. v.* 11. ait Paulus: *Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi ſpiritus Dei.* Sed ſpiritus Dei eſt vere corporis expers; ergo & ſpiritus hominis. Animam enim eſſe ſpiritum, & Deum eſſe ſpiritum, adeo conjuncta ſunt, ut Auguſtinus *l. 10. de Gen. ad litter. cap.* 24. dixerit: *nihil vicinius, aut fortaſſe nihil tam conſequens, quam ut credito, quod anima corpus ſit, etiam Deus corpus eſſe credatur.* Et rationem reddit; quia ſcilicet *ad ipſius imaginem facta eſt.* Hanc tamquam Catholicam veritatem profitetur, & ſtatuit Concilium Lateranenſe IV. *cap. Firmiter*, dum creaturam humanam pronunciat *ex corpore, & ſpiritu conſtitutam.*

IV. Adeſt quoque ratio, quam tradit D. Thomas 1. *p. q. 75. art.* 2. Anima rationalis eſt principium intellectualis operationis; ergo anima non eſt corpus, ſed ſpiritus. Conſeq. prob. hoc diſcurſu. *Homo per intellectum cognoſcere poteſt naturas omnium corporum: quod autem poteſt cognoſcere aliqua, oportet ut nihil eorum habeat in ſua natura, quia illud, quod ineſſet ei naturaliter, impediret cognitionem aliorum: ſicut videmus, quod lingua infirmi, quæ infecta eſt cholerico & amaro humore, non poteſt percipere aliquid dulce, ſed omnia videntur ei amara. Si igitur principium intellectuale haberet in ſe naturam alicujus corporis, non poſſet omnia corpora cognoſcere: omne autem corpus habet aliquam naturam determinatam. Impoſſibile eſt igitur, quod principium intellectuale ſit corpus. Et ſimiliter impoſſibile eſt quod intelligat per organum corporeum: quia natura determinata illius organi corporei prohiberet cognitionem omnium corporum: ſicut ſi aliquis determinatus color ſit non ſolum in pupilla, ſed etiam in vaſe vitreo, liquor infuſus ejuſdem coloris videtur.* Ita S. Th.

V. Neque ſequitur, quod ſi habeat naturam ſpiritualem, hæc natura, quam in ſe habet, impediat cognitionem aliorum ſpiritualium, ſed potius juvet: quia immaterialitas reddit naturam capacem ſpecierum omnium intelligibilium; non vero eam coarctat ad unum, ſicut facit materialitas, & corporeitas. Unde ex immaterialitate probavimus cognoſcivitatem cum D. Thom. 1. *p. quæſt. 14. art.* 1.

VI. Probatur ſecundo. Anima rationalis intelligit res univerſales, itemque Deum, & Angelos; ergo non eſt corporea: ſi enim eſſet corporea, non poſſet niſi corpora, & ſingularia cognoſcere. Hanc rationem expendit, & confirmat Caſſiodorus *lib. de Anima cap.* 4.

VII. Ulterius. Operationes indicant naturam ſui principii; ſed intelligere, & velle, quæ ſunt operationes propriæ animæ rationalis, non exercentur per organa corporalia; immo in ſtatu ſeparationis ab omni corpore melius exercentur, ut dum anima eſt a corpore ſeparata; & in Angelis, in quibus, quia abſolutis ab omni ordine ad corpus, perfectiori modo dictæ operationes inveniuntur; ergo &c.

VIII. Ex dictis conſequitur, animam rationalem eſſe ſubſiſtentem. Quod enim per ſe poteſt eſſe, & operari, eſt ſubſiſtens: ſed anima humana poteſt per ſe eſſe, & operari, ut cum eſt a corpore ſeparata. Eſto enim dum eſt corpori conjuncta, egeat ope phantaſmatum, & ſenſuum ad cognoſcendum, hoc accidit ei, quia corpori conjuncta, & in eo quaſi clauſa, non per ſeipſam poteſt immediate ad ſe trahere objecta, ſed eget miniſterio ſenſuum. Cæterum a corpore ſoluta, rejectis ſenſibus, & phantaſmatibus, per ſeipſam cuicumque intelligibili, etiam Deo, conjungi poteſt.

IX. Sed objicies cum Tertulliano, Scripturam nobis proponere animam habentem oculos, linguam, digitos in illo Divite, & Mendico, de quibus Lucas *cap.* 16. ait enim lib. de Anima c. 7. *Corporalitas animæ in ipſo Evangelio relucebit. Dolet apud Infernos anima cujuſdam, & punitur in flamma, & cruciatur in lingua, & de digito animæ felicioris implorat ſolatium roris.*

Idem conatur oſtendere ex animabus Patriarcharum apud Inferos detentis, & a Chriſto ſolutis. Et concludit: *Igitur ſi quid tormenti ſive ſolatii anima percepit in carcere, ſeu diverſorio inferum, in igne, vel in ſinu Abrahæ, probata erit corporalitas animæ. Incorporalitas enim nihil patitur, non habens per quod pati poſſit, aut ſi habet, hoc erit corpus.*

X. Reſpond. de hac Chriſti narratione ſive hiſtorica, ſive parabolica Divitis damnati, & Lazari locutos nos fuiſſe ſuperius, agentes de pœna ignis; ubi diximus animabus Divitis, & Lazari, oculos, linguam, & digitos per metaphoram a Chriſto accommodari. Cum enim narrationem inchoaſſet a tempore, quo uterque cum vivis agebat, de iis etiam poſt mortem, ac ſi viverent, ſermonem proſecutus fuit; ut turbæ, quæ audiebant, melius caperent unius tormentum, & alterius ſolatium. Sed audiendus eſt S. Auguſtin. *lib. 4. de Anima, & ejus origine cap.* 16. qui Vincentium Victorem ex præfata Evangelica narratione animam colligentem eſſe corpoream, cum tamen Deum corporeum eſſe negaret, ita redarguit. *Quid igitur cauſæ eſt, cur nomina iſta membrorum in Deo tibi corpus non faciant, in anima faciant? An vero quando de creatura hæc dicuntur, proprie accipienda ſunt, quando autem de Creatore, tropice, atque translate? Pennas itaque corporeas daturus es nobis, quoniam non Creator, ſed creatura, ideſt homo, dicit:* Si aſſumpſero pennas meas ſicut Columba. (Pſalm. 138. 9.) *Porro autem, ſi propterea linguam habebat Dives ille corpoream, quoniam dicit, refrigeret linguam meam: in nobis quoque adhuc in carne viventibus, manus habet ipſa lingua corporea, quia ſcriptum eſt:* mors, & vita in manibus linguæ. (Prov. 18. 21.) *Peto etiam non tibi videri, vel eſſe creaturam, vel corpus eſſe peccatum: cur ergo habet faciem? An non audis in Pſalmo,* non eſt pax oſſibus meis a facie peccatorum meorum? (*Pſalm. 37. 4.*)

XI. Quomodo autem anima, etſi incorporea, poſſit a loco corporeo detineri, pati, dolere, cruciari, ſuperius dictum eſt, explicando modum, quo Dæmones igni corporeo alligentur, & ex eo pœnam, & cruciatum accipiant, non corporali modo, ſed intellectuali. Sed ut hæc percipiantur, oportet ſupra imaginationem aſcendere. Nam ut bene notat D. Thomas 1. *p. q. 75. art.* 1. antiqui Philoſophi imaginationem tranſcendere non valentes, ſola corpora res eſſe dicebant; ita ut, quod non eſt corpus nihil eſſet, & propterea animam dicebant eſſe corpoream, & aliqui etiam ipſum Deum.

XII. Neque ex quo in ſomniis, aut in ecſtaſi aliquando animæ tamquam corporeæ apparuerint, arguere poterat Tertullianus, eas eſſe corpora. Nam alias, cum ſub forma corporis apparuerint Angeli, immo etiam Deus, deduci poſſet, Angelum, & Deum eſſe corporeos; ſed ſolum ſub ſimilitudine corporis oculis noſtris, aut phantaſiæ ſe præſentaſſe. Immo, ut acute diſcurrit Auguſtinus citato loco *cap.* 17. ſi ea, quæ vigilantes, aut dormientes tamquam corpora concipimus, Cælum, Solem, Montes &c. revera corpora eſſent, & non ſolum corporum ſimilitudines, nec ea poſſet mens in ſeipſa capere, nec memoria continere. Ex quibus Auguſtinus ita diſcurrit: ſi anima corpus eſſet, tam magnas, & multas corporum imagines capere, & continere cogitando non poſſet: ſed eas cogitando capit, & intra ſe cogitando revolvit; ergo nec corporea, nec corpus eſt. Videatur S. Auguſtin. loco laudato.

XIII. Objicies ſecundo. Omnis cognitio fit per aliquam ſimilitudinem: ſed corporis, ad rem incorpoream non poteſt eſſe ſimilitudo; ergo ſi anima non eſſet corpus, non poſſet res corporeas cognoſcere.

Reſpondeo cum D. Thom. 1. *p. q. 75. art. 1. ad* 2. diſt. maj. per aliquam ſimilitudinem, quæ actu ſit in natura cognoſcentis, nego majorem. Ad quam habendam cognoſcens ſit in potentia, conc. maj. Ad cognitionem ergo non petitur, ut ſimilitudo rei cognitæ actu ſit in natura cognoſcentis; ita ut cognoſcens talis naturæ ſit, qualis eſt res cognita: ſed ſat eſt, ut ſimilitudo rei cognitæ ſit in cognoſcente in potentia tantum, *ſicut color non eſt actu in pupilla, ſed in potentia tantum. Unde non oportet, quod in natura animæ ſit ſimilitudo rerum corporearum in actu, ſed quod ſit in potentia ad hujuſmodi ſimilitudines.* Immo ut dicebamus cum S. Th. Si in animæ natura eſſet actu ſimilitudo alicujus corporis, illud tantum poſſet cognoſcere, & non alia.

XIV. Objicies tertio. Moventis ad motum oportet eſſe aliquem contactum: contactus autem non eſt, niſi corporum; cum igitur anima moveat corpus, anima erit corpus.

Confirmatur ex Tertulliano lib. citato *de Anima cap.* 5. *Corporalium, & incorporalium paſſiones invicem non communicant: ſed anima compatitur corpori, cui læſo ictibus, vulneribus, ulceribus condoleſcit; & corpus animæ, cui afflictæ cura, angore, amore cohæreſcit per detrimentum proprii vigoris, cujus pudorem, & pavorem rubore, atque pallore teſtatur. Igitur anima corpus* (eſt) *ex corporalium paſſionum communione.*

XV. Reſpondetur ex Div. Thom. loco ſuperius citato ad 3. *quod eſt duplex contactus, quantitatis, & virtutis. Primo modo corpus non tangitur niſi a corpore. Secundo modo corpus poteſt tangi a re incorporea, quæ movet corpus.*

XVI. Ad confirm. dico, res incorporeas non communicare quidem in paſſionibus corporeis quantum ad entitatem, & effectum, in ſe tales paſſiones habendo; communicare tamen quantum ad conjunctionem, & affectum, & maxime animam humanam. Hæc enim cum, etſi incorporea, ſit tamen forma corporis, & ei conjungatur, tamquam comparti, cum qua hominem conſtituit, neceſſe eſt, ut mutua fiat paſſionum communicatio quantum ad affectum; ut corpore dolente, anima triſtetur, non quidem corporei doloris ſuſceptione, ſed affectu, quo ſuam compartem, corpus nempe, proſequitur; & e converſo quia corpus ab anima movetur, neceſſe eſt, ut in corpore variarum animæ affectionum ſigna reſultent, atque appareant.

§. II.

Anima hominis eſt incorruptibilis, & immortalis.

XVII. COntra hanc veritatem multi erraverunt. Prætereo Philoſophos Paganos, quorum plerique cum Epicuro de animæ immortalitate male ſenſerunt. Venio ad hæreticos. Animæ ergo immortalitatem negarunt primo Doſitheus antea religione Judæus, hac ratione negans futurum judicium, teſte Philaſtrio de *Hæreſ. c.* 4. Secundo Sadducæi a Saddoc Doſithei diſcipulo, teſte eodem *c.* 5. Epicuream dementiam potius, quam Deum ſectantes, contra quos Chriſtus prædicavit. Tertio Samaritani a Samario Rege ita nuncupati, vel a filio Canaan, qui hoc nomine Samarius vocabatur. Iſti (inquit Philaſtrius cap. 7.) quatuor tantum priores libros Moyſi recipientes, judicium futurum non expectantes, reſurrectionem negantes, Chriſtum Meſſiam eſſe in Lege

promiſſum non credentes, animam etiam immortalem hominem habere inficiabantur.

Sæculo autem tertio ineunte, nimirum anno poſt Chriſtum circiter 207. Severi Imperatoris temporibus, & Zephyrini Pontificis, ſurrexerunt quidam ex Arabia dicti propterea Arabici, de quibus Euſebius *lib. 6. Hiſt. c. 26.* & S. Aug. *de Hæreſ. c. 83.* aſſerentes *animas hominum una cum corporibus extingui, ſed poſtmodum in reſurrectione ſimul cum corporibus ſurrecturas.* Horum temporibus cum viveret Origenes, (auctore Euſebio) hujus allocutionibus, ac diſputationibus eorum non pauci reſipuerunt. Iſtorum meminit S. Th. 2. *cont. Gent. cap. 79.* his verbis: *dicitur in lib. de Eccleſiaſt. dogmat.* (c. 15.) *ſolum hominem credimus habere animam ſubſtantivam, quæ exuta corpore vivit . . . neque cum corpore moritur, ſicut* Arabs *aſſerit.* Contra iſtos, duos libros compoſuit S. Joann. Chryſoſt.

Hunc errorem ſæculo decimo evulgavit per Occitaniam hæreticus quidam VValfredus nomine. Eumdem ſæculo 15. deſinente excitavit Hermannus Riſuich, quem Haga ignibus abſumpſit ann. 1510. ſed quid moror antiquos ac præteritos errores perſcrutando? Sociniani moderni, in quorum ſectam Calviniſmus ſenſim ruit, veri Athei, repudiatis omnibus Chriſtianæ Religionis Articulis fundamentalibus, ut latam viam ſternant libertati, hanc inter alias blaſphemiam latis ulnis a Fauſto Socino ſuſcepere: animas a morte non ſupereſſe, reſurrectionemque futuram nullam eſſe. Contra omnes iſtos ſtat Catholica veritas, pro qua

XVIII. Dico. Animam hominis eſſe incorruptibilem, & immortalem. Nimius eſſem, ſi omnia Scripturarum, & Patrum loca eam atteſtantia congerere vellem. Aliqua afferam. 1. *Exodi 3. v. 6.* plurimis annis poſt mortem corporalem Abrahæ, Iſaac, & Jacob Dominus Deus dicit: *ego ſum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob.* Quem locum afferens Chriſtus *Matth. 22. verſ. 32.* contra Sadducæos, ita ſubſumit: *non eſt Deus mortuorum, ſed viventium;* ergo cum præfati Patriarchæ non viverent ſecundum corpus, indicavit, eos adhuc vivere ſecundum animas. Unde Chryſoſtomus *Hom. 71. in Matt.* ait: *Non enim dixit* eram, *ſed* ſum, *eorum ſcilicet, qui ſunt, & vivunt.*

Secundo. Eccleſiaſtæ 12. v. 7. *Et revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

Tertio. *Sap. 3. v. 1. 2. & 3.* dicitur: *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori . . . illi autem ſunt in pace.* Et cap. 5. v. 16. *Juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum.*

XIX. Eidem veritati fidem facit Chriſtus Matt. 10. v. 28. *Nolite* (inquit) *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.* Certe ſi anima cum corpore interiret, qui corpus occideret, & animam occideret. Nec inſuper dixit timete eum, qui poteſt animam, & corpus *occidere*, ſed *perdere in gehennam*, ideſt mittere in perditionem æternam, juxta ea, quæ dixit Matth. 25. v. 41. *diſcedite a me maledicti in ignem æternum.* Et v. 46. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.*

XX. Ne autem dicerent hæretici, hæc non indicare, animam cum corpore non interire, ſed ſolum non in æternum, cum tandem ſimul cum corpore ſit ſurrectura: propterea *Lucæ 16.* animas pereunte corpore non perire, oſtendit exemplo Divitis, & Lazari, quorum corporibus morte incineratis, animæ tamen adhuc vivebant, Divitis quidem inter cruciatus Inferni, Lazari vero inter refrigeria in Abrahæ ſinu. Quod & Joannes in *Apoc.* teſtatur, cum ait c. 6. v. 9. 10. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei . . . Et clamabant voce magna dicentes.* Si ergo animæ interfectorum clamabant; ergo vivebant etiam corporibus interfectis.

XXI. In hanc veritatem conſpirarunt Patres omnes. Juſtinus *Apolog. 2. pro Chriſtianis, & Dialogo cum Triphone.* Irenæus *lib. 2. cap. 33. lib. 5. cap. 4.* quamvis eam corpoream ſuſpicentur, immortalem tamen natura prædicant. Immo & Tertullianus ipſe lib. de Anima cap. 22. *Definimus* (inquit) *animam Dei flatu natam, immortalem, corporalem, effigiatam, ſubſtantiam ſimplicem, de ſuo patientem, varie procedentem, liberam arbitrii, accidentis obnoxiam, per ingenia mutabilem, rationalem, dominatricem, ex una redundantem.* Athanaſius Orat. contra gentes num. 33. *Si enim* (inquit) *in corpore adhuc vincta, vitam, quæ extra corpus eſt* (anima) *vivit, multo magis poſt mortem corporis vivet, nec vivere deſinet ... Idcirco enim immortalia, & æterna cogitat, & ſapit, quia immortalis eſt. Namque ut mortalis corporis ſenſus nihil, niſi mortale percipiunt: ſic animam res mortales contemplantem & meditantem, immortalem quoque eſſe, & ſemper vivere neceſſe eſt.* Hæc Athanaſius. Ex quibus hæc formari poteſt ratio. Anima rationalis cognoſcit nedum mortalia, & temporanea, ſed immortalia, & æterna: immo ad hæc cognoſcenda ordinata eſt; ergo eſt immortalis. Conſequentia prob. Quia enim ſenſus non niſi mortalia cognoſcunt, mortales propterea ſunt; ergo quia anima rationalis etiam immortalia cognoſcit, immortalis idcirco eſt.

Idem ſentiunt Ambroſius *de Bono mortis c. 9. Lib. 2. de Fide c. 3. Lib. de Fide Reſurrect.* paulo poſt initium *Lib. 2. de Cain c. 10.* Hieron. *in c. 22. Matth. In c. 51. Iſaiæ.* Aug. *libro integro de Immortal. animæ. L. 1. de Trin. c. 1. Tract. 23. in Jo.* Chryſoſt. *hom. 4. de Provident.* Nazianz. *Orat. 1.* Uno verbo omnes Patres.

XXII. Quapropter Eccleſia Catholica in Concilio Lateranenſi V. ſub Leone X. Seſſ. 8. hanc veritatem definivit, dicens: *Sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes aſſerentes animam intellectivam mortalem eſſe.* Et rationem reddens, ſubjungit: *Alias Incarnatio, & alia Chriſti Myſteria nobis minime profuiſſent; nec Reſurrectio expectanda foret, ac Sancti, & Juſti miſerabiliores eſſent, juxta Apoſtolum, cunctis hominibus.*

XXIII. Nec deſunt naturales rationes, quarum plures Studioſus videre poterit apud D. Thom. *l. 2. Cont. Gent. c. 79. 80. & 81. q. unica de Anima art. 14.* Eas adducam, quas affert *2. p. q. 75. art. 6.* Prima procedit, ſuppoſito, quod ſit ſpiritualis, hoc pacto. Anima rationalis neque poteſt corrumpi per ſe, nec per accidens; ergo nullo modo. Non per ſe: quia cum ſit ſpiritualis eſt per ſe ſubſiſtens; ideoque eſſe eſt naturaliter ab ea inſeparabile, cum ei per ſe conveniat, ut ſuperius de immortalitate Angelorum oſtendimus. Non etiam per accidens: quoniam illa corrumpuntur per accidens, quæ ad corruptionem alterius corrumpuntur, ſicut animæ brutorum corruptis corporibus corrumpuntur; hoc autem modo ea ſola corrumpuntur, quæ non ſubſiſtunt per ſe.

Secunda procedit (dato, quod eſſet corporea, ut multi Veterum voluerunt) ſic. Non invenitur corruptio, niſi ubi eſt contrarietas; Cæli namque etſi corporei, ſunt incorruptibiles, quia in eis materia nulli contrarietati ſubjecta eſt: ſed in anima intellectiva nulla poteſt eſſe contrarietas; quæ enim in ea recipiuntur, quamvis inter ſe contraria ſint, nullam tamen in ea contrarietatem exercent: ſunt enim in ea ſecundum eſſe intelligibile, ſecundum quod conveniunt potius, quam contrarientur, cum ſit una ſcientia contrariorum.

Tertia procedit a ſigno. Anima humana naturaliter deſiderat ſemper eſſe: ſed naturale deſiderium non poteſt eſſe inane; ergo anima humana naturaliter petit ſemper eſſe; ergo incorruptibilis eſt.

XXIV. Superſunt etiam rationes morales. Nam ſi anima eſt mortalis, vel Dei Providentia non eſt; vel iniqua diſpenſatrix eſt: cum enim in hac vita probi ſæpe affligantur, & impii proſperentur, ſi non eſſet poſt hanc alia vita, in qua impii pœnam, & juſti præmium reciperent, æqua certe & juſta Providentia non eſſet.

Rurſus: Damnandi eſſent tamquam inſani, qui pro Patriæ, vel Parentum, vel etiam ipſius Dei cauſa tuenda præclaram mortem elegerunt; ſi nihil poſt hanc vitam ſperandum illis fuiſſet, & maximum malum, mortem ſcilicet, prætuliſſent maximo bono nempe vitæ.

Quid inſuper virtutem colimus, quid Deum veneramur, qui & nullis donat præmiis eos, qui ſeipſos, ipſamque vitam pro eo tradidere; eorumque occiſores viros omnibus vitiis ſordidatos, impunitos, ac de ſuis ſceleribus gloriantes abire permittit? Certe ſi anima cum corpore interiret, nullus Dei eſſet Cultus, nulla Religio, nullus Dei timor, nullus Deus, ſed ſolis locus vitiis, ſolis cupiditatibus; nullius enim utilitatis eſſet virtutem tanto labore comparare; quin immo melius eſſet impie ac luxurioſe vivere, ac dicere Sap. 2. v. 2. *Ex nihilo nati ſumus, & poſt hac erimus tamquam non fuerimus &c.* v. 8. *Coronemus nos roſis, antequam marceſcant &c.* Quare S. Aug. *lib. 6. Confeſſ. cap. 16.* de ſeipſo fatebatur; *Epicurum accepturum fuiſſe palmam in animo meo, niſi ego crediaiſſem, poſt mortem reſtare animæ vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit.*

XXV. Hæc ſapientiores ex Philoſophia ad animarum immortalitatem profitendam moverunt, ut Cicero lib. de Amicitia dixerit: *Plus apud me Antiquorum valet auctoritas, vel Majorum noſtrorum, qui mortuis tam religioſa jura tribuerunt, quod non feciſſent, ſi judicaſſent, animam ſimul cum corpore interire.* Ac propterea Melchiori Cano libentius ſubſcribo, qui *lib. 12. de Locis Theologicis c. 15. prop. 3. & 4.* tamquam erroneum pronunciat dicere, animæ immortalitatem naturali ratione demonſtrari non poſſe: quando & D. Aug. Serm. 139. de tempore nunc 240. *Philoſophi* (inquit) *ſæculi hujus, qui magni fuerunt, & docti, & cæteris meliores, animam humanam immortalem eſſe ſenſerunt: nec ſolum ſenſerunt, ſed quantis potuerunt argumentationibus defenderunt, & ipſas defenſiones ſuas conſcriptas Poſteris reliquerunt.*

XXVI. Sed dices in contrarium primo. *Eccleſiaſtæ 3. v. 19.* dicitur: *unus interitus eſt hominis, & jumentorum, & æqua utriuſque conditio: ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur: ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius:* ergo cum jumentorum animæ mortales ſint, eadem ratione mortalis erit anima hominis. Unde *Pſalm. 145. v. 4.* dicitur: *Exibit ſpiritus ejus* (hominis) *& revertetur in terram ſuam.*

XXVII. Reſpondetur primo ex D. Th. *1. p. q. 75. art. 6. ad 1.* quod *Salomon inducit rationem illam ex perſona inſipientium, ut exprimitur ſapientiæ 2.* Obſervat autem Sanct. Gregor. *lib. 4. Dialog. c. 4.* q. quod *liber ille Eccleſiaſtes appellatus eſt. Eccleſiaſtes autem proprie Concionator dicitur . . . . Hic igitur liber idcirco Concionator dicitur, quia Salomon in eo quaſi tumultuantis turbæ ſuſcepit ſenſum, ut ea per inquiſitionem dicat, quæ fortaſſe per tentationem imperita mens ſentiat. Nam quot ſententias, quaſi per inquiſitionem movet, quaſi tot in ſe perſonas diverſorum ſuſcipit. Sed concionator verax velut extenſa manu omnium tumultus ſedat, eoſque ad unam ſententiam revocat, cum in ejuſdem libri termino ait* (c. 12. v. 13.) finem loquendi omnes pariter audiamus: Deum time & mandata ejus obſerva: hoc eſt enim omnis homo.

XXVIII. Reſp. ſecundo cum eodem D. Thom. citato, verbis illis inducit ſimilitudinem inter homines, & jumenta ſolum *quantum ad corpus. Similiter enim de terra facta ſunt omnia animalia; non autem quantum ad animam. Nam anima brutorum*

producitur ex virtute aliqua corporea, anima vero humana a Deo. Et ad hoc ſignificandum dicitur Gen. 1. Producat terra animam viventem. *Quantum vero ad hominem dicitur, quod* inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ. *Et ideo concluditur Eccleſiaſtæ ultimo:* Revertatur pulvis in terram ſuam unde erat: & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. *Similiter proceſſus vitæ eſt ſimilis quantum ad corpus, ad quod pertinet quod dicitur Eccleſiaſtæ 3.* Similiter ſpirant omnia: *& ſimiliter Sap. 2.* fumus, & flatus eſt in naribus noſtris. *Sed non eſt ſimilis proceſſus quantum ad animam, quia homo intelligit, non autem animalia bruta. Unde falſum eſt, quod dicitur:* Nihil habet homo jumento amplius. *Et ideo ſimilis eſt interitus quantum ad corpus, ſed non quantum ad animam.*

In idem redit reſponſio ejuſdem S. Doctoris quæſt. un. de anima artic. 14. ad 1. *quod unus dicitur eſſe interitus hominum, & jumentorum, quantum ad corruptionem compoſiti, quæ utrobique eſt per ſeparationem animæ a corpore: licet poſt ſeparationem anima humana remaneat, non autem anima jumentorum.* Ita quoque Sanctus Hieronymus in hunc locum, nimirum: *cum etiam inter pecudes, & hominem ſecundum corporis vilitatem nihil differre videatur, & ſit eadem naſcendi conditio, ſors una moriendi, ſimiliter procedamus ad lucem, æque diſſolvamur in pulverem,* loquitur Salomon de initio, progreſſu, & fine vitæ præſentis.

Ad ea, quæ adducuntur ex Pſalmis, reſponſio patet ex ſenſu verſus allati, qui talis eſt: *Exibit ſpiritus ejus*, ſcilicet hominis; & tunc ipſe homo diſſolvetur, & corpus ejus revertetur in terram ſuam, ideſt unde prodierat. Qui ſenſus convenit cum laudata ejuſdem Eccleſiaſtæ ſententia cap. 12. v. 7. *Et revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

XXIX. Dices ſecundo. 1. ad Timoth. 6. v. 16. de Deo dicit Paulus: *qui ſolus habet immortalitatem*, nempe natura. Unde in Synodo *ſexta Actione 11.* animæ dicuntur eſſe immortales, ſed per gratiam.

Huic inſtantiæ reſponſum eſt, dum ageremus de incorruptibilitate Angelorum. Videantur ibi dicta. Ad præſens dico, ſolum Deum habere immortalitatem, quia ſolus & caret principio intrinſeco corruptionis, nec ab ullo extrinſeco corrumpi, ſeu deſtrui poteſt. At anima habet quidem immortalitatem primo modo, non tamen ſecundo; quia Divina potentia, qua ex nihilo facta fuit, poſſet quoque in nihilo redigi; & hoc modo dicitur immortalis ex gratia, quia naturam a Deo ſortita eſt cui nunquam accedit corruptio.

XXX. Dices tertio. Quæcumque conveniunt ad unum eſſe, ita ſe habent, ut corrupto uno corrumpatur aliud: ſed anima & corpus conveniunt ad unum eſſe: ergo corrupto corpore corrumpitur anima.

Si dicatur; majorem veram eſſe, quando quæ conveniunt ad idem eſſe, invicem pendent in eſſe; non ſic autem ſe habent anima, & corpus. Nam corpus pendet quidem in ſuo eſſe ab anima, quæ illi eſſe ſuum, in quo ſubſiſtit, communicat: at anima non pendet in ſuo eſſe a corpore; & ideo remoto corpore adhuc remanet anima.

XXXI. Replicabis. Quod a corpore dependet in operari, ab eo dependet quoque in eſſe: ſed anima rationalis dependet in operari a corpore: Tum quia propria operatio animæ eſt intelligere cum phantaſmate, & cum dependentia a corporeis organis; quare experientia videmus, interceptis ſpirituum animalium mentibus, ut fit in ſyncope & apoplexia, repente hominem omni uſu rationis deſtitui; quod ſignum eſt, rationis uſum a ſpiritibus, & cerebri affectu pendere.

Tum quia deſtructo compoſito, animæ cognitiones pereunt: unde Pſalm. 145. v. 4. dicitur: *In illa die* (mortis) *peribunt omnes cogitationes eorum.* Et Eccleſiaſtæ 9. v. 5. *mortui nihil noverunt.*

XXXII. Reſpondeo, diſt. min. in operari abſolute, nego min. In operari, ut eſt in corpore, ſubdiſtinguo: a corpore, ut organo per quod immediate intelligat, nego min. Ut miniſtrante, & deferente ſpecies, conced. min. Operatio enim propria animæ, quæ eſt intelligere non exercetur per organum corporale, ſicut videre, vel audire; ſed per principium ſpirituale immediate perficitur. Quia tamen dum eſt in corpore, non poteſt immediate ſe convertere ad intelligibilia, ab eis ſumendo ſpecies, ſed eget ſenſuum miniſterio; ideo pro ſtatu unionis nequit intelligere, niſi ex phantaſmatibus hauriat ſpecies; ſeparata tamen habebit alium modum, & quidem perfectiorem intelligendi. Hinc ad primam min. prob. reſpondeo cum D. Th. 1. p. quæſt. 75. art. 6. ad 3. *quod intelligere cum phantaſmate eſt propria operatio animæ ſecundum quod corpori eſt unita: ſeparata autem a corpore habebit alium modum intelligendi ſimilem aliis ſubſtantiis a corpore ſeparatis.* Quia vero dum eſt unita corpori non poteſt ſine phantaſmate, & ſenſibus intelligere, fit, ut per ſyncopen ſeu apoplexiam ligatis ſenſibus, & per amentiam phantaſmatibus perturbatis, nequeat rationis uſum explicare; ſed hoc convenit ei ratione ſtatus, non ratione ſubſtantiæ.

Ad aliam probat. Ex Scriptur. dico, non fieri ſenſum, animam a corpore ſeparatam nullam cogitationem habituram, ſed perituras illas cogitationes de rebus, & negotiis temporalibus, de quibus ſoliciti erant homines dum viverent. Et in eodem ſenſu dicitur, quod mortui nihil noverunt; nempe de his, quæ contingunt circa nos, quæ ad ſtatum ipſorum non ſpectant. Sed de his alibi.

DUBIUM V.

An Anima rationalis facta fuerit per creationem?

§. I.

Opiniones, ſeu errores.

I. CUm jam oſtenſum ſit, animam humanam non quidem de Deo, ſeu Dei ſubſtantia ſed a Deo eſſe factam; de modo, quo facta fuit, nunc ſermo erit. Primo quidem de anima primi hominis, deinde de animabus aliorum ab eo deſcendentium. Cumque ſupponamus jam probatum animas humanas non fuiſſe ante corpus productas, deinde corpori alligatas; quærendum erit, an de corpore fuerint factæ, an ex nihilo creatæ, & adhuc creentur.

II. Tertullianus, ſicut, ut ſuperius vidimus, animam corpoream eſſe, opinatus eſt; ita quoque eam cum corpore a parentibus traduci, ſeu generari exiſtimavit. Eodem errore laborarunt Apollinariſtæ, quibus, & hæreſim, & nomen dederunt duo Apollinarii pater, & filius, quarto ſæculo, annum circa 377. Valentiniano Imperante, ac Romæ ſedente Damaſo, uterque eruditione celebris, & junior tempore Juliani Imperatoris maxime juvit Eccleſiam. Nam cum impius Imperator prohibuiſſet, ne Chriſtiani liberalibus artibus imbuerentur; Apollinarius in gratiam juventutis, Hebræorum hiſtoriam uſque ad Regnum Saulis deſcripſit, aliaque edidit humanioris litteraturæ, argumentis ex Sacra Scriptura depromptis. Præcipue vero librum elaboravit contra Julianum ipſum, ſeu adverſus Philoſophos gentiles quo eorum circa Deum pudendos errores proſtravit; quod opus irridens Julianus Apoſtata, ſcripſit ad Epiſcopos: *legi, intellexi, improbavi.* Ad quæ ipſi reſponderunt: *legiſti quidem, ſed non intellexiſti: nam ſi intellexiſſes, non improbaſſes.* Verum indignatus Apollinarius, quod a Georgio Laodicæno Epiſcopo Ariano, ob initam cum Athanaſio communionem, ab Eccleſia pulſus eſſet (cum tamen ab Arianis pelli loco honoris ducere debuiſſet) novam excogitavit hæreſim. Cujus præcipuus error erat quidem, Verbum aſſumpſiſſe ſolam carnem, non animam rationalem, ſeu Verbum fuiſſe illi loco animæ, & intellectus: ad hunc alium quoque adjunxit, animam ex traduce per generationem fieri.

III. De quo ita teſtatur S. Hieronymus *Epiſt. 82.* modo 78. *ad Marcellinum, & Anapſychiam*, ubi, referens ſententias de origine animæ, ait: *Super animæ ſtatu memini veſtræ quæſtiunculæ, immo maxime Eccleſiaſticæ quæſtionis: Utrum lapſa de Cœlo ſit, ut Pythagoras Philoſophus, omneſque Platonici, & Origenes, putant; an a propria Dei ſubſtantia, ut Stoici, Manichæus, & Hiſpania Priſcilliani hæreſis ſuſpicantur; an in theſauro habeantur Dei, olim condita, ut quidam Eccleſiaſtici ſtulta perſuaſione confidunt; an quotidie a Deo fiant, & mittantur in corpora ſecundum illud, quod in Evangelio ſcriptum eſt* (Joan. 5. v. 17.) Pater meus uſque modo operatur, & ego operor; *an certe ex traduce, ut Tertullianus, Apollinarius, & maxima pars Occidentalium autumant; ut quomodo corpus ex corpore, ſic anima naſcatur ex anima, & ſimili cum brutis animantibus conditione ſubſiſtat &c.*

IV. Circa eadem in eodem luto hæſerunt Luciferiani duce Lucifero Calaritano in Sardinia Epiſcopo, qui, teſte D. Auguſtino *lib. de Hæreſ. cap. 81.* hunc errorem obtruſit; animam hominis de carnis ſubſtantia propagari; quem tamen, an idcirco habendus fuerit ut hæreticus, ſub dubio S. Auguſtinus relinquit. Hunc Luciferum vixiſſe circa annum 350. vel 365. temporibus Conſtantii Imperatoris, & Liberii Papæ, tradunt hiſtorici. His adjungunt aliqui Maſſalianos, ſeu Meſſalianos ejuſdem quarti ſæculi hæreticos, anno 380. Valentis, & Damaſi temporibus, quaſi inter alios errores hunc etiam haberent, quod dicerent animam hominis non factam a Deo per Filium, ſed de terra, ſeu de carne eſſe, a Deo elevatam ad producendam animam, etſi ſpiritualem. Sed hos omitto, quia eſto Prateolus hunc errorem ipſis affingat; attamen S. Aug. *lib. de Hær. c. 57.* ubi alios eorum recenſet errores, iſtius non meminit, ſicut nec alii Recentiores.

V. Noto tamen, hanc veritatem, animam humanam non traduci per generationem, ſed a Deo eſſe creatam, antiquis temporibus non fuiſſe adeo exploratum, quin aliquis ſalva fide de ea dubitare non poſſet. Tum quia D. Hieronymus ſuperius relatus teſtatur, maximam partem Occidentalium contrarium opinatam fuiſſe. Tum quia S. Auguſtinus in hac re dubius fuiſſe videtur. Nam *lib. 1. de Anima, & ejus origine c. 14.* Vincentio Victori dicit: *animas a Deo, non ex propagine fieri; ſed novas ſingulis inſufflari: probet ſi poteſt, & fatebor, me didiciſſe ab illo, quod magna intentione quærebam.* Inde oſtendens, nullum ex Scripturæ textibus quos adducit, eſſe, cui congrua non poſſit adhiberi explicatio, concludit cap. 17. *Nihil enim horum tamquam certum affirmamus, ſed quid horum verum ſit, adhuc quærimus.* Idem teſtatur *lib. 3. de Peccat. merit. & remiſſ. cap. 10. & alibi.* In qua perplexitate, & inquiſitione continuaſſe uſque ad mortem teſtantur, quæ in libris Retractationum ſcripſit. Nam *lib. 1. cap. 1.* ingenue profitetur, de animæ origine, *nec nunc ſcribam, nec adhuc ſcio.* Quod repetit *l. 2. Retract. cap. 56.*

VI. Cauſa autem hujus dubitationis erat; quia ex eo, quod anima dicebatur non eſſe ex traduce, Pelagiani conabantur evertere fundatiſſimam Eccleſiæ fidem de peccato originali. Quomodo enim anima parvuli contraheret illud peccatum, in inſtanti conceptionis, ſi illa non traducitur a parentibus, ſed creatur a Deo, qui non eſt auctor peccati. Unde S. Auguſtinus *lib. 3. de Peccat. merit. & remiſſ. cap. 10.* refert Pe-

pelagium ita opponentem: *Si anima non eſt ex traduce, ſed ſola caro, ipſa tantum habet traducem peccati, & ipſa ſola pœnam meretur . . . injuſtum eſſe, ut hodie nata anima, non ex maſſa Adæ, tam antiquum portet peccatum alienum*. Hinc S. Gregorius *lib. 7. Epiſt. 53.* in eadem dubitatione fuit. Quapropter Hugo Victorinus *lib. 1. de Sacram. part. 6. cap. 3.* Et Alphonſus Caſtrenſis *lib. 2. contra Hereſ. errore 5. de anima*, putant, de fide non eſſe, animas creari, & non traduci; quia nec Scripturæ auctoritate, nec Eccleſiæ Traditione, aut Decreto probari poteſt.

VII. Quidquid tamen ſit de priſcis illis temporibus, quibus nondum eliquata veritate poterat in alterutram partem diſputari; modo tamen probabilius cenſeo, eſſe de fide tenendum, animam humanam non traduci, ſed a Deo creari. Primo quia ita ſentit D. Thom. tum *2. Contra Gent. cap. 86.* ubi dicit eſſe errorem *Apollinaris, & ſequacium ejus* ponere, *animas ab animabus generari, ſicut a corporibus corpora*. Tum *q. 3. de Potentia art. 9.* ubi relatis tribus de origine animæ opinionibus; prima, quod anima filii ex anima parentis propagetur; ſecunda, quod omnes fuerunt ſeorſim creatæ ab initio extra corpora, deinde, vel nutu voluntatis, vel Deo mandante corporibus unitæ; & tertia, *animas cum creantur corpori infundi*; ſubdit: *quæ quidem opiniones, quamvis aliquo tempore ſuſtinerentur, & quæ earum eſſet verior in dubium verteretur, ut patet ex Auguſtino in decimo ſuper Geneſ. ad litt. & in libris, quos ſcribit de origine animæ; tamen primæ duæ poſtmodum judicio Eccleſiæ ſunt damnatæ, & tertia approbata*. Unde 1. p. quæſt. 118. art. 2. concludit: *& ideo hæreticum eſt dicere quod anima intellectiva traducatur cum ſemine*. His ergo poſitis.

§. II.

Veritas ſtatuitur.

VIII. **D**Ico, Anima Adami facta fuit a Deo per creationem, & eodem modo fiunt animæ Poſterorum ejus, non ex traduce. Prior pars de anima Adami probatur ex illo Geneſis 1. ubi de aliis rebus dicitur v. 11. *Germinet terra herbam*: v. 20. *producant aquæ reptile animæ viventis*: & v. 24. *producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias &c.* At cum venitur ad animam hominis, dicitur cap. 2. v. 7. *Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*. Idque propterea, ut doceremur, hominis animam non e terra ſicut corpus, ſed a Deo immediate creatam, & corpori inſpiratam, ſeu infuſam.

IX. Dicent forte primo, ſpiraculum illud non fuiſſe animam hominis; quia illud inſpiravit in faciem hominis jam formati, & proinde jam habentis animam. Textus enim ait: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*; & deinde ſubdit: *& inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*: ergo anima facta fuerat ante ſpiraculum illud, & conſequenter ex corpore jam de limo terræ formato educta: nam ſine anima rationali dici non poſſet formatus homo.

X. Sed contra. Nam ut ſupra *Dub. 2. §. 1.* diximus cum D. Thom. *1. p. q. 91. art. 4. ad 3.* verba illa debent intelligi, non ita quod Deus prius formaverit hominem, deinde ei inſpiraverit &c. ſed ita, ut hæc verba *inſpiravit*, ſint quaſi expoſitio ejus, quod præmiſerat, nam anima eſt corporis forma. Unde ſenſus eſt: Deus formavit hominis corpus de limo terræ, cui pro forma ipſa inſpiravit animam.

Secundo. Dum dicitur: *formavit Deus hominem de limo terræ*, non ſumitur totus homo, ſed per Sinecdochen pars pro toto, nempe illa, quam formaverat de limo terræ, quæ eſt corpus organizatum; ſicut ſæpe Scriptura conſuevit nominare animam pro toto homine, juxta illud Geneſ. 46. v. 26. *Cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum &c.* Et Lucæ 16. dicitur, quod dives ſepultus eſt in Inferno, & Lazarus portatus in ſinum Abrahæ; cum tamen de ſola anima Divitis, & Lazari ſermo ſit. Et Geneſ. 50. v. 13. dicitur, cum mortuus eſſet Jacob, quando *portantes eum in terram Chanaam, ſepelierunt eum &c.* & tamen non portaverunt, nec ſepelierunt, niſi corpus.

XI. Dicent ſecundo. Dato, animam primi hominis fuiſſe a Deo creatam, non ſequi, creari etiam noſtram: ſicut ex quo corpus Adæ non fuerit formatum per traducem, & generationem, non ſequitur, quod etiam corpora noſtra non per generationem unius ab altero, ſed immediate a Deo formentur.

Sed contra. Et probatur ſecunda pars. Nam Scriptura, ſicut animam primi hominis dicit a Deo inſpiratam, ita etiam ab ipſo dari nobis animam pronunciat, non ex nobis traduci. Primo enim Adam videns ex ſe formatam Hevam, dixit Geneſ. 2. v. 23. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*: non addidit: *& anima de anima mea*. Secundo. Pſalm. 32. v. 15. *Qui finxit ſigillatim corda eorum*: ſolet autem Scriptura nomine cordis animam ſignificare. Tertio: Zachariæ 12. v. 1. Deus dicitur *extendens Cælum, & fundans terram, & fingens ſpiritum hominis in eo*. Sicut ergo extendit Cælos, & fundavit terram ſolus; ita ſolus quoque fingit ſpiritum in homine. Tertio: Eccleſiaſtæ 12. v. 7. *Et revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Super quæ Hieronymus: *Ex quo* (inquit) *ſatis ridendi, qui putant, animas cum corporibus ſeri, & non a Deo, ſed a corporum parentibus generari. Cum enim caro revertatur in terram, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum, manifeſtum eſt, Deum parentem animarum eſſe, non homines*. Quod confirmat Paulus *Hebr. 12. v. 9.* ubi parentes noſtros vocat *patres carnis noſtræ*, Deum autem *Patrem Spirituum*.

XII. Hoc idem celebriores Patres quovis ſæculo teſtati ſunt. D. Hilarius *in Pſalm. 62. num. 3.* approbat, uniuſcujuſque mentem ad cognitionem, ſpemque æternitatis naturali quodam ferri inſtinctu; *quia veluti inſitum, impreſſumque omnibus ſit, divinam ineſſe nobis animarum originem opinari*. Et *lib. 10. de Trinit. num. 20.* probat Chriſtum ex Virgine aſſumpſiſſe corpus, & animam, *cum anima omnis opus Dei ſit, carnis vero generatio ſemperr ex carne fit*. Et inferius nu. 21. *Ut per ſe* (inquit) *ſibi aſſumpſit ex Virgine corpus, ita ex ſe ſibi animam aſſumpſit, quæ utique nunquam ab homine gignentium originibus præbetur.*

XIII. Ambroſius lib. de Arca, & Noe cap. 4. *Plerumque* (ait) *Angeli, filios Dei vocat Scriptura, quia ex nullo homine generantur animæ*. Mitto alios Patres, Cyrillum Alex. *lib. 1. in Jo. cap. 9.* Theodoretum *l. 4. de Materia, & Mundo; & lib. 5.* qui eſt de natura hominis; & Hieronymum, qui in *Epiſt. ad Pammachium contra errores Jo. Hieroſol.* ſuam de animarum creatione ſententiam vocat *Eccleſiaſticam*; & *lib. 3. contra Ruffin.* idem confirm. Præſtat tamen audire Lactantium *lib. de Opificio Dei c. 19.* ſic loquentem: *Utrumne anima ex patre, an potius ex matre, an vero ex utroque generetur. Sed ego id meo jure ab ancipiti vindico. Nihil enim ex his tribus verum eſt; quia neque ex utroque, neque ex alterutro ſeruntur animæ. Corpus enim ex corporibus naſci poteſt, quoniam confertur aliquid ex utroque, de animis anima non poteſt; quia ex re tenui, & incomprehenſibili nihil poteſt decedere. Itaque ſerendarum animarum ratio uni ac ſoli Deo ſubjacet &c.*

XIV. Tandem idemmet S. Auguſtinus, quamvis, ut vidimus, hac in re hæſitaverit, contrariam tamen ſententiam nunquam probavit: ſed quærendo ſemper veritatem proceſſit, & ſi quis eam forte inveniſſet, ſibi communicari exoptavit. Ita enim ſcribit *Epiſt. 157.* modo 190. ad Optatum cap. 5. *Si inveneris, quod te quærere admonui, quod ipſe adhuc fateor non inveni, defende quantum potes, atque aſſere, animarum infantum ejuſmodi eſſe novitatem, ut nulla propagatione ducantur, & nobiſcum quod inveneris, fraterna dilectione communica. Si autem non inveneris . . . nec ſic jam temere in aliam ſententiam tua deflectatur aſſenſio, ut eas ex illa una credas propagando traduci: ne forte alius invenire poſſit, quod ipſe non poſſis; aut aliquando invenias, quod nunc non potueris*. Vide quam caute, quam moderate loquitur S. Auguſtinus. Diſcerent utinam Recentiorum non pauci, qui falſum exiſtimantes totum, quod ipſi neſciunt, nec inveniunt, novas in dies opiniones invehunt in Eccleſiam.

XV. Nunc probanda eſt noſtra aſſertio ratione. Et primo, quod anima rationalis fiat per creationem, prob. ratione D. Th. *1. p. q. 90. art. 2.* ſub hac forma. Id, cui proprie convenit fieri, & non fit ex materia, neceſſe eſt, ut fiat per creationem: ſed animæ rationali proprie convenit fieri, & non poteſt fieri ex materia; ergo debet fieri per creationem. Maj. explicatur. Aliquid enim producitur non per creationem, ſed naturalem tranſmutationem; vel quia proprie, & per ſe non convenit ei fieri, ut ſunt accidentia, & aliæ formæ non ſubſiſtentes; vel quia non fit ex nihilo, ſed ex aliqua materia. Min. vero probatur pro prima parte. Cui enim convenit eſſe per ſe, ei convenit proprie per ſe fieri, cum fieri ſit via ad eſſe: ſed animæ rationali convenit eſſe per ſe, cum ſubſiſtat, unde poteſt etiam ſeparata a corpore ſubſiſtere, & operari; ergo &c. Min. vero pro ſecunda parte probatur. Anima rationalis non fit, nec fieri poteſt ex materia corporali, cum ut probavimus ipſa ſit immaterialis, & incorporea, atque ex materia ſpirituali, quia ſic ſubſtantiæ ſpirituales eſſent invicem tranſmutabiles, ergo &c.

XVI. Confirmatur ratione ejuſdem S. D. *q. 3. de Poteſt. art. 9.* res ſic ſe habet ad fieri, ſicut ad eſſe, & ſic ſe habet ad eſſe, ſicut ad operari; ſed operatio propria animæ rationalis nempe intelligere per ſe non communicat corpori, cum etiam ſeparata a corpore perficiatur; ergo nec eſſe, nec fieri animæ rationalis communicabit, aut dependebit a corpore.

XVII. Probatur etiam, non poſſe animam rationalem per generationem traduci ratione D. Thomæ *1. p. q. 118. art. 2.* Primo quia virtus activa, quæ eſt in materia non poteſt extendere ſuam actionem ad effectum immaterialem: *impoſſibile enim eſt* (inquit idem S. D. q. 3. de Pot. art. 9.) *actionem corporeæ virtutis ad hoc elevari, quod virtutem penitus ſpiritualem, & incorpoream cauſare poſſit: nihil enim agit ultra ſuam ſpeciem immo agens oportet eſſe præſtantius patiente ſecundum Aug. 12. ſuper Gen. ad litt.* Sed virtus activa ſeminis eſt in materia: anima autem rationalis eſt effectus quidam immaterialis; ergo &c.

Secundo. Virtus, quæ eſt in ſemine agit in virtute formæ, ſecundum quod illa forma eſt actus corporis utens in ſua operatione organo corporeo: ſed virtus agens in virtute formæ, ſecundum quod eſt actus corporis utens organo corporali, non poteſt producere formam, quæ ſit principium intellectionis, quæ eſt operatio ab organo corporeo independens; ergo &c.

Tertio. Si anima rationalis per gubernationem ex materia ſit, jam non erit per ſe ſubſiſtens; ergo non erit immortalis: ſed corrupto corpore corrumpetur & ipſa, ſicut animæ brutorum.

XVIII. Concludendum igitur eſt, animas non traduci ſeminali propagatione, ſed formatis corporibus, a Deo creari, & creando corporibus infundi: hoc enim decuit, ut Deus ſibi reſervaret. Tum ob earum dignitatem; quia cum anima ſit imago Dei habens ſolum Deum, ut ſuum ultimum finem, decuit quoque, ut ipſe ſolus eſſet ejus principium. Tum etiam ob earum immortalitatem: cum enim Deus ſolus ſit ipſa vita, & vita indeficiens, ſolus ipſe eſt, qui poteſt producere

principium vitæ, quod ſit perpetuum. Mortalia enim agentia, vitam ſolum mortalem, & vitæ temporaneum principium poſſunt producere. Ita ex S. Bonaventura in *2. diſt. 18. q. 2.*

§. III.

Contraria proponuntur, & diſſolvuntur.

XIX. **M**Ulta ſunt, quæ hanc veritatem olim reddebant dubiam, & modo etiam quibuſdam hæreticorum reddunt. Ea breviter proponemus. Et primo teſtimonia Scripturarum.

Primo ergo adducunt ea, quibus animæ dicuntur ab homine factæ, genitæ, & egreſſæ de femore ejus. Gen. 12. v. 5. de Abraham dicitur: *Tulitque Sarai uxorem ſuam, & Loth filium fratris ſui . . . & animas, quas fecerant in Haran*, & cap. 46. verſ. 18. *Genuit Jacob ſexdecim animas*, & ibi verſ. 29. *cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum, & egreſſæ ſunt de femore illius*. Si ergo animæ filiorum a parentibus ſunt factæ, genitæ, & de femore egreſſæ, non ſunt a Deo creatæ, ſed cum ſemine traductæ.

XX. Communis reſponſio eſt, quam tradit S. Thomas *q. 3. de Pot. art. 9. ad 1.* quod in adductis auctoritatibus *per Synecdochen ponitur pars pro toto, ideſt anima pro toto homine, & hoc ideo quia anima eſt principalior pars hominis, & unumquodque totum videtur eſſe id, quod eſt principalius in eo. Unde totus homo videtur eſſe anima, vel intellectus, ſecundum quod dicitur 9. Ethicorum*: Nomine ergo animarum intelliguntur Perſonæ, quas Abraham, & Jacob genuerant, filios nempe, & filias, non ſolas animas: ſicut dum dicitur in hac Civitate ſunt 60. millia animæ, idem eſt ac dicere 60. millia homines. Et hoc in caſu præſenti magis dicendum eſt: nam cum dicatur, quod animæ illæ egreſſæ de femore Jacob, ingreſſæ ſint in Ægyptum, ſi de ſolis animabus intelligeretur, ſequeretur ſolas animas, relictis corporibus, in Ægyptum fuiſſe ingreſſas, quod eſt ridiculum.

XXI. Aliam reſponſionem dat S. Aug. *lib. de Trinit. c. 4.* dicens: *Sicut Scripturæ noſtræ loqui ſolent, tres animas, cum a parte meliore totum appellari placet, ideſt ab anima, & corpus & animam, quod eſt totus homo. Ita quippe dictum eſt, in Ægyptum deſcendiſſe cum Jacob animas ſeptuaginta quinque pro tot hominibus.*

Rurſus *Epiſt. 190. al. 157. ad Optatum* ſupra laudata, in qua oſtendit teſtimonia Scripturarum neutram partem aperte oſtendere, cap. 5. ſic ait: *Itemque illi qui propaginem animarum inconſiderata temeritate defendunt, inter alia teſtimonia, quæ ſuæ cauſæ ſuffragari arbitrantur, nullum quaſi manifeſtius, & expreſſius pro ſe poſſunt putare proferendum, quam id, quod in Geneſi ſcriptum eſt*: Omnes autem animæ, quæ introierunt cum Jacob in Ægyptum, qui exierunt de femoribus ejus. *Hoc enim velut evidentiſſimo teſtimonio poſſunt credi animæ in filios ex parentibus propagari, quoniam ſatis aperte dictum videtur, animas, etiam de femoribus Jacob, non ſola exiiſſe corpora filiorum*. Verum S. Doctor, neque hoc manifeſte evincere, ſic oſtendit; *ſed hoc teſtimonium certe quaſi tam clarum, atque manifeſtum enodandæ huic quæſtioni non ſufficeret, nec ſi ita legeretur genere femminino*, quæ *exierunt de femoribus ejus, ut animas intelligeremus, quæ exierunt. Ideo autem non ſufficeret, quia & animæ nomine, corpus ſolum poſſe ſignificari, modo quodam locutionis oſtenditur, quo ſignificatur per id, quod continetur, id quod continet, ſicut ait quidam*: vina coronant; *cum coronarentur vaſa vinaria. Vinum enim continetur, & vas continet. Sicut ergo appellamus Eccleſiam Baſilicam, qua continetur populus, qui vere appellatur Eccleſia, ut nomine Eccleſiæ, ideſt populi, qui continetur, ſignificemus locum, qui continet: ita quod animæ corporibus continentur, intelligi corpora filiorum per nominatas animas poſſunt. Sic enim melius accipitur etiam illud, quod Lex inquinari dicit eum, qui intraverit ſuper animam mortuam, hoc eſt ſuper defuncti cadaver; ut nomine animæ mortuæ mortuum corpus intelligatur, quod animam continebat, quia & abſente populo, ideſt Eccleſia, locus tamen ille nihilominus Eccleſia nuncupatur. Hæc reſponderentur, ſi ut dixi, feminino genere poſitum eſſet*, quæ *exierunt de femoribus Jacob, ideſt, quæ animæ.*

Nunc vero cum maſculinum genus ſit oppoſitum, ideſt; qui exierunt de femoribus Jacob; *quis non ita intelligere malit, omnes animæ eorum, qui exierunt de femoribus ejus, ideſt animæ hominum: ut etiam ſic poſſint intelligi ſecundum corpus tantummodo exiiſſe homines de femoribus patris, quorum erant illæ animæ, per quarum numerum intelliguntur tot homines?*

XXII. Pro majori intelligentia Sancti Doctoris, ejuſque reſponſionis, nota, quod, ubi in noſtra Vulgata legimus *cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum, & egreſſæ ſunt de femore illius*; tempore S. Auguſtini in aliquibus Codicibus legebatur, *quæ exierunt*, in aliis vero *qui exierunt*, uti etiam nunc in Verſione lxx. Interpretum legimus: *omnes autem animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum, qui egreſſi ſunt de femoribus ejus*. Si ergo legatur primo modo, *quæ exierunt*, vel *quæ egreſſæ ſunt* in feminino, dicit S. Doctor ſumi animas pro corporibus, velut contentum pro continente, ſicut vinum pro vaſe. Si vero legatur ſecundo modo, *qui exierunt*, vel *qui egreſſi ſunt* de femoribus; in maſculino, dicit debere intelligi ſic: animæ eorum hominum, qui ſecundum corpus egreſſi, vel exierunt de femoribus Jacob, ingreſſæ ſunt cum eo in Ægyptum. Quomodocumque ergo exponatur textus ille, ſive ſecundum Auguſtinum, ſumendo contentum pro continente, ſive ſecundum D. Th. ſumendo partem pro toto, ex illo non concluditur animarum propagatio.

XXIII. Sed contra reſponſionem D. Thomæ forte inſtabis. Si nomine animæ intelligitur totus homo, cum homo ſit quid compoſitum ex anima & corpore; ergo totus homo egreditur ex femore Patris; ergo non ſolum corpus, ſed & anima cum ſemine traducetur.

Hanc inſtantiam prævidit S. Th. ideoque *q. 3. de Pot. art. 9. ad 2.* reſpondet, negando ultimam conſeq. Equidem *totus homo egreditur de femore generantis*: ſed *propter hoc, quod virtus ſeminis de femore egredientis operatur ad unionem corporis, & animæ diſponendo materiam ultima diſpoſitione; quæ eſt neceſſitas ad formam, ex qua unione homo habet, quod ſit homo. Non autem ita, quod quælibet pars hominis per virtutem ſeminis cauſetur.*

XXIV. Alia Teſtimonia pro animæ traductione ſunt. *Levitici 17. verſ. 14.* dicitur; *Anima enim omnis carnis in ſanguine eſt*: ſed ſanguis traducitur cum ſemine a generante, præcipue cum ſperma non ſit niſi ſanguis decoctus; ergo & anima.

Reſp. ex D. Th. *q. 3. de Pot. art. 9. ad 8.* quod anima dicitur eſſe in ſanguine, non quia ſanguis ſit ipſa anima, ſed quia ſanguis eſt propria diſpoſitio corporis, ut in eo per animam conſervetur vita; quia vivere eſt per calidum, & humidum, quæ in animali per ſanguinem conſervantur. Adderem, ibi ſermonem eſſe de animabus pecudum, quorum ſanguinem ibi Deus interdicebat Hebræis; quia volebat, eum ſibi afferri in eorum expiationem.

XXV. Rurſus Roman. 5. v. 16. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo* homine peccatore, vel in quo peccató, ait Gloſſa) *omnes peccaverunt*. Illud ergo unum peccatum, quod in Adam fuit, in omnes traducitur: ſed accidens traduci non poteſt, niſi ſubjectum traducatur, cum accidens nequeat tranſire de ſubjecto in ſubjectum; ergo cum anima ſit ſubjectum peccati originalis, dum traducitur peccatum, traducitur anima rationalis.

Reſpondeo ex D. Thom. *quæſt. 3. de Pot. citata ad 3. & 4.* diſtinguendo hoc ultimum conſeq. cum anima ſit ſubjectum &c. ratione naturæ humanæ, conc. conſ. ratione ſui, nego conſ. Cum ergo peccatum originale ſit peccatum totius naturæ, peccatum originale eſt in anima, in quantum pertinet ad humanam naturam. Humana autem natura traducitur ab Adamo, & a parente in filium per traductionem carnis, cui poſtea anima infunditur, & ex hoc infectionem incurrit, quod ſit cum carne traducta una natura. Si enim anima uniretur carni non ad conſtituendam naturam, ſicut Angelus unitur corpori aſſumpto, infectionem non reciperet: & anima Chriſti, quamvis unita fuerit carni ad conſtituendam humanam naturam; quia tamen unita fuit carni non traductæ ab Adamo per ſeminalem propagationem, nullam infectionem contraxit.

XXVI. Sed objiciunt rationibus primo. Cum omne agens agat ſibi ſimile in forma, qua agit, homo generans hominem intendit aſſimilare genitum in forma, qua agit, eamque in illum imprimere, ſeu traducere: ſed forma, qua homo generans agit, eſt anima rationalis; ergo &c.

Confirmatur primo. Præcipuum, quod in homine eſt, eſt anima rationalis; ergo ſi hanc non producit homo, vere non generabit alium hominem.

Confirmatur ſecundo. Æque, vel major congruentia eſt hominis ad hominem, quam ſit bruti ad brutum: & perfectior eſt vis generativa in homine, quam ſit in bruto animali; vel ſaltem non minus perfecta: ſed brutum generans brutum, totaliter brutum producit, nempe quoad animam, & quoad corpus; ergo ſimiliter homo.

Confirmatur tertio. Impoſſibile eſt, quod unum una actione fiat, & aliud alia, & quod ſit unum per ſe: ſed anima, & corpus conſtituunt hominem, qui eſt unius naturæ, & unus per ſe: ergo eadem actione fiunt.

XXVII. Reſp. nego abſolute maj. quod generans ſemper intendat producere, vel traducere in genitum formam, qua agit, & generat, ſed ipſum perducere ad participationem ſuæ ſpeciei, & formæ, qua generat. Ita D. Thomas *q. 3. de Potentia citata ad 6.* quod quidem fit, per hoc quod genitum conſequitur formam ſimilem generanti ex vi actionis generativæ. *Si ergo* (inquit S. Thom.) *forma illa non ſit ſubſiſtens, ſed eſſe ſuum ſit ſolum in hoc, quod uniatur ei cujus eſt forma, oportebit, quod generans ſit cauſa ipſius formæ, ſicut accidit in omnibus formis materialibus. Si autem ſit talis forma, quæ ſubſiſtentiam habeat, & non dependeat eſſe ſuum totaliter ex unione ad materiam, ſicut eſt in anima rationali, ſufficit, quod generans ſit cauſa unionis talis formæ ad materiam, per hoc, quod diſponit materiam ad formam; nec oportet, quod ſit cauſa ipſius formæ*. Ita S. Thomas.

XXVIII. Ad primam conf. diſt. conſeq. ſi hanc non producit, nec unit, conced. conſeq. ſi non producit, tamen unit, nego conſ. Ut enim ait D. Th. loco citato ad 19. *licet anima rationalis non ſit a generante, unio tamen corporis ad eam eſt quodammodo a generante . . . & ideo homo dicitur generari.*

XXIX. Ad ſecundam confirm. diſparitas eſt, quia anima bruti non eſt ſubſiſtens, anima autem hominis ſubſiſtens eſt: unde illa a generante producitur, ad iſtam generans ſolum poteſt diſponere corpus, ut ei uniatur, prout ſuperius dictum eſt.

XXX. Ad tertiam confirm. reſpondet D. Thomas loco ſæpe allato ad 21. *quod duo agentia omnino diſparata non poſſunt hoc*

modo ſe habere, quod actio unius terminetur ad materiam, & alterius ad formam: hoc tamen contingit in duobus agentibus ordinatis, quorum unum eſt inſtrumentum alterius. Actio enim principalis agentis ſe extendit quandoque ad aliquid, ad quod non poteſt ſe extendere actio inſtrumenti. Natura autem eſt ſicut inſtrumentum quoddam divinæ virtutis, ut ſupra oſtenſum eſt: unde non eſt inconveniens, ſi virtus divina ſola faciat animam rationalem, actione naturæ ſe extendente ſolum ad diſponendum corpus.

XXXI. At dices. Si ſolus Deus animam creat, & infundit, homo autem ſolum diſponit corpus, ut ſit capax animæ, Deus erit, qui generat hominem, non homo: ſicut quia ſolus eſt, qui producit gratiam, & in anima infundit, quamvis homo per ſuos actus præparet animam, & diſponat ad gratiæ ſuſceptionem, ſolus tamen Deus eſt, qui animam ſanctificat, non homo.

XXXII. Reſpondeo diſparitatem eſſe, quia homo generans hominem, etſi non producat animam, ſed ſolus Deus eam producat, ipſe autem ad eam ſolum diſponat corpus; id tamen facit per formam ſimilem animæ, ad quam diſponit, & proinde intendit aſſimilare ſibi effectum, & ſic homo eſt qui generat. At homo qui diſponit, & præparat animam ad gratiæ habitualis ſuſceptionem, id non facit per formam ſimilem; quia in homine ſe præparante ad gratiam gratum facientem, eſto ſupponatur donum gratiæ moventis, non tamen donum gratiæ gratum facientis: & rurſus iſtæ diſpoſitiones ſicut nullum habent meritum ad gratiam; ita nullam habent exigentiam ad illam, nec proinde habet homo, ut ſit cauſa aſſimilans ſibi animam in gratia, cum ergo ſolus Deus ſit, qui gratiam in animam infundendo, eam deificet, & participatione ſuæ naturæ ſibi aſſimilet, ſolus ipſe eſt, qui ſanctificat animam, non homo.

XXXIII. Objiciunt ſecundo. Si anima non eſt ex traduce, ſed ſola caro; ergo in ſola carne peccatum traducitur: ergo ſola caro pœnam meretur. Nam ſi anima a ſolo Deo prodit, non eſt cur eam peccato infectam dicamus, niſi Deum talis infectionis faciamus auctorem, & ſimus Manichæi.

Confirmantur hæc primo. Si anima crearetur a Deo, homo in conceptione ſua non contraheret peccatum originale, quia peccatum illud non eſt niſi eo, quod homo habet ex homine infecto; ſi ergo ex homine peccato infecto anima non eſt, ſed a Deo, nullum peccatum habet.

Confirmantur ſecundo. Si Deus creat animam, eamque infundit corpori, quod coitu adulterino generatur, jam probabit & cooperabit adulterio, quod de Deo nefas eſt imaginari.

XXXIV. Reſpondetur, hoc fuiſſe unum ex argumentis Pelagianorum, qui ex hoc concludere volebant, animam peccatum originale non contrahere; & Catholicos, hoc non obſtante, animam infici peccato aſſerentes, tamquam Manichæos traducebant. Primam calumniam S. Auguſtinus refert *lib. 3. de Peccat. merit. & remiſſione, cap. 10.* & in Pelagianos retorquet ſic; *ſi anima non eſt ex traduce; ergo quæ iſta juſtitia eſt, ut recens creata, & ab omni delicto prorſus immunis, ab omni peccati contagione penitus libera, paſſiones carnis, diverſoſque cruciatus, & quod eſt horribilius, etiam Dæmonum incurſus in parvulis ſuſtinere cogatur? Neque enim aliquid horum caro ſic patitur, ut non ibi anima potius quæ vivit, ac ſentit, pœnas luat.* Secundam vero calumniam idem S. D. refert *lib. 3. contra Julian. cap. 4. 5. & 6.* præcipue vero *lib. 5. Oper. imperfecti contra eumdem cap.* 11. ubi docet, hunc errorem naſci, quod non diſcerneret Julianus *ab inſtitutione divina depravatæ humanæ originis vitium*. Sicut ergo; quod homines aliqui naſcantur ingenio obtuſi, hoc non eſt naturæ Conditori tribuendum, ſed ipſius naturæ vitio: *Sic* (inquit) *& ego diſtinguerem in natura hominis, qualis nunc eſt, quid diſtet inter ingenii vitium & tanti artificis opificium ..... ut per hanc regulam diſcas ab ejus inſtitutione diſcernere, quamvis congenitum homini originale peccatum, nec ideo negas eſſe, quia Deus homines facit, qui peccatum non facit; ſicut non ideo neganda ſunt Ingeniis hominum congenita vitia, quia Deus homines facit, a cujus arte divina vitioſitas eſt omnis aliena.* Hæc S. Aug.

Ex cujus pulchra doctrina nego illatum. Nam etſi peccatum originale traducatur per carnem, in ſola tamen carne non eſt, ſed eo & anima inficitur, non ut a Deo eſt, & creatur, ſed dum carni conjungitur. *Semen* enim *carnale* (ait D. Thom. q. 4. de Malo art. 3.) *ſicut eſt inſtrumentalis cauſa traductionis humanæ naturæ in prole; ita eſt inſtrumentalis cauſa traductionis peccati originalis*. Unde ibi ad primum ait: *Anima rationalis non habet immunditiam peccati originalis, nec ex ſe, nec a Deo, ſed ex unione ad carnem. Sic enim fit pars humanæ naturæ derivatæ ab Adam.* Et 1. 2. q. 83. art. 1. ad 4. *infectio* (inquit) *originalis peccati nullo modo cauſatur a Deo, ſed ex ſolo peccato primi parentis per carnalem generationem. Et ideo cum creatio importet reſpectum ad ſolum Deum, non poteſt dici, quod anima ex ſua creatione inquinetur. Sed infuſio importet reſpectum, & ad Deum infundentem, & ad carnem, cui infunditur anima. Et ideo habito reſpectu ad Deum infundentem, non poteſt dici, quod anima per infuſionem maculetur, ſed ſolum habito reſpectu ad corpus, cui infunditur.* Quæ D. Thomæ verba præveniunt omnes inſtantias, quæ poſſent fieri.

XXXV. Ad primam confirm. primo inſto ſic. Si peccatum originale contrahitur ex eo ſolum, quod habet a parentibus peccato infectis: ergo qui generantur ex parentibus peccato originali non inquinatis, quia ab eo mundatis per Baptiſmum, & juſtis, etiamſi eorum animæ ex anima ipſorum traducantur; non contrahent peccatum originale. Dicendum ergo eſt, quod cum peccatum originale ſit peccatum naturæ, ad hoc ut anima illud contrahat, ſatis eſſe, ut fiat pars humanæ naturæ per unionem ad carnem carnali propagatione ab Adamo deſcendentem, & proinde inquinatam, ſicut pretioſus liquor, ſi vaſi infecto infundatur, ſtatim inficitur, quamvis in ſe, & ex ſui formatione nullam infectionem haberet.

XXXVI. Ad ſecundam confirm. nego ſequelam cum D. Thom. 1. p. q. 118. art. 2. ad 5. Nam *in actione adulteriorum, illud quod eſt naturæ, bonum eſt, & huic cooperatur Deus. Quod vero eſt inordinatæ voluptatis, malum eſt, & huic Deus non cooperatur*. Eodem modo reſpondet 2. *Contra Gent. cap. 89.* ſimili argumento, quod dicit fuiſſe Apollinaris; & addit, quod peccatum adulterorum non eſt in actione naturæ, quæ mala non eſt, ſed in eorum voluntate, quæ ea abutitur. *Actio autem, quæ eſt ex virtute ſeminis ipſorum eſt naturalis, non voluntaria. Unde non eſt inconveniens, ſi Deus illi operationi cooperatur, ultimam perfectionem inducendo.*

XXXVII. Pro completa intelligentia dictorum, nota, quod anima rationalis eſto præſupponat materiam, dum creatur, hoc tamen non tollit, quin vere ex nihilo fiat. Nam eſto materiam ſupponat, & diſpoſitiones, eas tamen non ſupponit, nec requirit, ut abſolute ſit, ſed ut ſit in corpore, & corpore conſtituat hominem. Quare a corpore non dependet ut ſit, cum poſſit ab eo ſeparata exiſtere.

XXXVIII. Ex dictis infertur, animam rationalem a ſolo Deo immediate productam fuiſſe in Adamo, & in aliis hominibus produci, non vero mediantibus Angelis, ut quidam putavere. Nam cum anima ex dictis facta fuerit, & fiat per creationem, hoc eſt, nullo præſuppoſito ſubjecto, & ſolus Deus poſſit creare, nulla autem creatura id poſſit adhuc per miniſterium, ut ſuperius *Tractat. de Deo Creatore qu. 1. Dub. 3. §. 2.* oſtenſum eſt; ſequitur, eam immediate a ſolo Deo creari. Ita ſentit D. Thom. *1. p. qu. 90. art. 3.*

Neque obſtare, quod *Geneſ. 2. v. 2.* dicatur, quod Deus *requievit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat.*

Nam reſpondet D. Thom. 1. part. quæſt. 117. artic. 3. ad 1. *Quod Deus dicitur ceſſaſſe die ſeptimo, non quidem ab omni opere, cum dicatur Jo. 5.* Pater meus uſque modo operatur; *Sed a novis rerum generibus, & ſpeciebus condendis, quæ in operibus primis non aliquomodo præextiterint. Sic enim animæ, quæ nunc creantur, præextiterunt ſecundum ſimilitudinem ſpeciei in primis operibus, in quibus anima Adæ creata fuit.*

Dubium VI.

In quo homo ſit factus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei.

§. I.

Ratio Imaginis explicata.

I. Inter prærogativas, quibus homo ſupra cæteras creaturas irrationales extollitur, una eſt, quod ſit factus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. Hoc enim Deus ipſe teſtatus eſt, cum hominem facturus, dixit Geneſ. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Et v. 27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam.* Sap. 2. v. 23. *Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum.* Eccleſiaſtici 17. verſ. 1. *Deus creavit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum.* Et 1. Corinth. 11. verſic. 7. *Vir quidem non debet velare caput ſuum, quoniam imago, & gloria Dei eſt.*

II. Quamvis autem imago, & ſimilitudo Dei perfectius innitatur in Angelo, cum hæc attendatur ſecundum naturam intellectualem, quæ in angelo excellentius eſt, quam in homine: quare Ezechiel. 28. v. 12. ſub perſona Regis Tyri de Angelo dicitur: *Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia*; ad quæ verba Sanct. Gregorius *homil. 34. in Evangel.* ait: *ubi notandum, quod non ad ſimilitudinem Dei factus, ſed ſignaculum ſimilitudinis dicitur quo in eo ſubtilior eſt natura, eo in illo imago Dei ſimilius inſinuetur expreſſa.* Eadem habet *lib. 22. Moral. cap. 24. modo 22.* Attamen, ut docet D. Thom. *1. part. qu. 93. art. 3.* hoc ſpecialiter dicitur de homine, quia, non ſolum eſt intellectualis naturæ, ut Angelus, in qua ratio imaginis Dei eſſentialiter fundatur; ſed *in homine invenitur quædam Dei imitatio, in quantum ſcilicet homo eſt de homine, ſicut Deus de Deo; & in quantum anima hominis eſt tota in toto corpore ejus, & iterum tota in qualibet parte ipſius ſicut Deus ſe habet ad Mundum. Et ſecundum hæc, & ſimilia magis invenitur Dei imago in homine, quam in Angelo. Sed quantum ad hæc non attenditur per ſe ratio divinæ imaginis in homine, niſi præſuppoſita prima imitatione, quæ eſt ſecundum intellectualem naturam: alioquin etiam animalia bruta eſſent ad imaginem Dei. Et ideo* (concludit S. Th.) *cum quantum ad intellectualem naturam Angelus ſit magis ad imaginem Dei, quam homo, ſimpliciter concedendum eſt Angelum magis eſſe ad imaginem Dei, hominem autem ſecundum quid.*

III. Obſervat autem idem S. Thomas hac q. 93. art. 1. *Quod ſicut Auguſtinus dicit in lib. 83. qq. quæſt.* 74. Ubi eſt imago, continuo eſt & ſimilitudo; ſed ubi eſt ſimilitudo, non continuo eſt imago. *Ex quo patet, quod ſimilitudo eſt de ratione imaginis, & imago aliquid addit ſupra rationem ſimilitudinis, ſcilicet quod ſit ex alio expreſſa. Imago enim dicitur ex eo, quod agitur ad imitationem alterius. Unde ovum quantumcumque ſit alteri ovo ſimile, & æquale, quia tamen non eſt expreſſum ex illo, non dicitur eſſe imago ejus.* Similiter nec æqualitas eſt de ratione imaginis, *quia ut Auguſtinus ibidem dicit*: ubi eſt imago, non continuo eſt æqualitas, *ut patet in imagine alicujus in ſpeculo relucente; eſt tamen de ratione perfectæ*

ima-

imaginis. Nam in perfecta imagine non deeſt aliquid imagini, quod inſit illi, de quo expreſſa eſt.

IV. Hinc concludit S. D. ibi, quod eſto in homine ſit aliqua ſimilitudo, & imago Dei, *quæ deducitur a Deo, ſicut ab exemplari, non tamen eſt ſimilitudo ſecundum æqualitatem; quia in infinitum excedit exemplar hoc tale exemplatum. Et ideo in homine dicitur eſſe imago Dei: non tamen perfecta, ſed imperfecta. Et hoc ſignificat Scriptura, cum dicit, hominem factum* ad imaginem Dei. *Præpoſitio enim* ad *acceſſum quemdam ſignificat, qui competit rei diſtanti.*

V. Notat tamen ibi ad ſecundum, hominem non ſic dici *ad imaginem*, quin etiam ſit imago, etſi imperfecta; hoc enim dicit Apoſt. 1. *Cor.* citatus; ſed dicitur imago ad imaginem, ad differentiam Filii Dei; qui ſic eſt imago Dei, ut non ſit ad imaginem. Unde ait: *Primogenitus omnis creaturæ eſt imago Dei perfecta, perfecte implens illud, cujus imago eſt. Et ideo dicitur* imago, *& nunquam* ad imaginem. *Homo vero, & propter ſimilitudinem dicitur* imago, *& propter imperfectionem ſimilitudinis dicitur* ad imaginem. *Et quia ſimilitudo perfecta Dei non poteſt eſſe, niſi in identitate naturæ, imago Dei eſt in Filio ſuo primogenito; ſicut imago Regis in filio ſuo connaturali: in homine autem, ſicut in aliena natura, ſicut imago Regis in nummo argenteo, ut patet per Auguſtinum in lib. de decem chordis c.* 8. Hoc idem docet S. Th. *lect. 2. in c. 11. 1. ad Cor.*

VI. Sola tamen creatura intellectualis dici poteſt imago ſeu ad imaginem Dei, reliquæ vero creaturæ irrationales nequaquam. Ita D. Th. hac *q. 93. a. 2.* & rationem aſſignat. *Non enim qualibet ſimilitudo, etiamſi ſit expreſſa ex altero, ſufficit ad rationem imaginis. Si enim ſimilitudo ſit ſecundum genus tantum, vel ſecundum aliquod accidens commune, non propter hoc dicitur aliquod eſſe ad imaginem alterius. Non enim poſſet dici, quod vermis, qui oritur ex homine, ſit imago hominis propter ſimilitudinem generis. Neque iterum poteſt dici, quod ſi aliquid fiat album ad ſimilitudinem alterius, propter hoc ſit ad ejus imaginem, quia album eſt accidens commune pluribus ſpeciebus. Requiritur autem ad rationem imaginis, quod ſit ſimilitudo ſecundum ſpeciem, ſicut imago Regis eſt in filio ſuo; vel ad minus ſecundum aliquod accidens proprium ſpeciei, & præcipue ſecundum figuram, ſicut hominis imago dicitur eſſe in cupro . . .*

VII. *Manifeſtum eſt autem* (proſequitur S. D.) *quod ſimilitudo ſpeciei attenditur ſecundum ultimam differentiam. Aſſimilantur autem aliqua Deo; Primo quidem, & maxime communiter in quantum ſunt: ſecundo vero, in quantum vivunt: tertio vero in quantum ſapiunt, vel intelligunt. Quæ ut Auguſt. dicit in l. 83. q. q.* 51. ita ſunt Deo ſimilitudine proxima, ut in creaturis nihil ſit propinquius. *Sic ergo patet, quod ſolæ intellectuales creaturæ, proprie loquendo, ſint ad imaginem Dei.* Hactenus D. Thomas.

VIII. Eſto igitur creaturæ irrationales non ſint imagines, vel ad imaginem Dei, ſunt tamen *veſtigium Dei. Cujus ratio* (inquit S. Thom. hac q. *93. a. 6.*) *manifeſte cognoſci poteſt, ſi attendatur modus, quo repræſentat veſtigium, quo repræſentat imago. Imago enim repræſentat ſecundum ſimilitudinem ſpeciei, ut dictum eſt, veſtigium autem repræſentat per modum effectus, qui ſic repræſentat ſuam cauſam, quod tamen ad ſimilitudinem ſpeciei non pertingit. Impreſſiones enim, quæ ex motu animalium relinquuntur, dicuntur veſtigia. Et ſimiliter cinis dicitur veſtigium ignis, & deſolatio terræ veſtigium hoſtilis exercitus.* Quod docuerat etiam 1. *p. q. 45. a. 7.* his verbis: *Omnis effectus aliqualiter repræſentat ſuam cauſam, ſed diverſimode: nam aliquis effectus repræſentat ſolam cauſalitatem cauſæ, non autem formam ejus, ſicut fumus repræſentat ignem; & talis repræſentatio dicitur eſſe repræſentatio veſtigii. Veſtigium autem demonſtrat motum alicujus tranſeuntis: ſed non qualis ſit. Aliquis autem effectus repræſentat cauſam quantum ad ſimilitudinem formæ ejus, ſicut ignis generatus ignem generantem, & ſtatua Mercurii Mercurium.* Ex quibus concludit, quod in ſolis creaturis rationalibus, in quibus eſt intellectus, & voluntas, verbum productum, & amor procedens, eſt imago Trinitatis; in aliis vero creaturis adeſt repræſentatio Trinitatis ſolum per modum veſtigii.

IX. His ergo explicatis, conſtat, hominem eſſe ad imaginem Dei: cum enim ſit naturæ intellectualis, eſt ad imitationem Dei ſecundum ultimam & ſpecificam differentiam ejus, & proinde ſecundum ſimilitudinem ſpeciei, quod diximus requiri ad rationem imaginis. Porro cum multa ſint in homine, ſecundum quæ dici poſſit Dei imago: ideo multæ quoque apud Veteres fuerunt opiniones, in quo nimirum hæc ratio imaginis Dei collocanda ſit.

§. II.

Opinionum varietas.

X. Opinati fuerunt aliqui, imaginem Dei eſſe in corpore humano, non in anima; quia putarunt, cum Deus dixit *faciamus hominem ad imaginem &c.* corpus hominis tunc fuiſſe factum, ſed nondum animam. Hos refert abſque nomine Philaſtrius *Hæreſ. 97.* Hos ex Philaſtrio indicaſſe puto S. Auguſt. *l. de Hæreſ. c. 76.* dum ait: *Alia* (hæreſis) *dicit corpus hominis, non animam, eſſe imaginem Dei.*

XI. Hoc idem cenſuerunt (teſte S. Epiphanio *Hær. 70.*) Audæani, ſeu Antropomorphitæ, alia tamen falſa, & inſana perſuaſione moti; nimirum, quod Deus eſſet corporeus humana forma, ac figura præditus, eo ſane modo, quo apparuit Patriarchis, ac Prophetis. Hos ſuperius *Q. 3. Dubio* 1. impugnavimus. Ad præſens vero intentum eos ſic deridebat Melito apud Theodoretum *q. 20. in Geneſ.* Si propterea exiſtimatis, Deum habere corpus, quale habet homo, quia illum nobis oſtendit humanis membris inſtructum: eadem ratione concluditur hominem non eſſe ad ejus imaginem, & ſimilitudinem factum. Nam Zacharias *c. 4. v.* 10. deſcribit Deum ſeptem oculos habentem, homo autem duos tantum habet. *Pſ. 90. v.* 4. inducitur Deus habens pennas, & alas, quibus homo caret: & multa alia per metaphoram Deo Scriptura attribuit, quæ ſi proprie, & ad veritatem exigerentur, Deum facerent enormem, ac monſtruoſum, & homini longe diſſimillimum. Non igitur (ait Melito) imago Dei quærenda eſt in hominis corpore, ſed in anima; quia, ſicut Deus, ſic ipſe rationis, conſilii, & ſapientiæ compos & capax eſt.

XII. Tertullianus vero, quamvis Deum eſſe corporeum affirmaverit (ut ſuperius loco citato *Q. 3. Dub. 1. §. 1.* notavimus) non exiſtimavit tamen hominem eſſe factum ad imaginem Dei ſecundum corpus, ſed ſimilem Deo exiſtimavit, quia libero donatus arbitrio, ſicut Deus. Ita L. 2. contra Marcionem c. 5. *liberum* (inquit) *& ſui arbitrii, & ſuæ poteſtatis invenio hominem a Deo inſtitutum, nullam magis imaginem, & ſimilitudinem Dei in illo animadvertens, quam ejuſmodi ſtatus formam. Neque enim facie, & corporalibus lineis tam variis in genere humano ad uniformem Deum expreſſus eſt.* Et c. 6. *oportebat igitur, imaginem & ſimilitudinem Dei, liberi arbitrii, & ſuæ poteſtatis inſtitui &c.*

Hominem ad imaginem Dei conditum quatenus libero præditus fuit arbitrio, cenſent S. Hieron. *Ep. 146.* S. Ambroſius *l. 6. in Exaemeron c. 8.* S. Joann. Damaſc. *l. 2. de Fide c. 11.* & *l. 3. c. 14.* quos refert noſter Alexander *Hiſt. Vet. Teſtam. differt. 1. a. 7. propoſ. 2.*

XIII. Alii ſunt, qui Dei imaginem in Sanctitate vitæ, & morum puritate repoſuerunt. Sic Gelaſius Cizicenus in Actis Nicenæ Synodi *p. 2. c. 17.* & in eam propendit Ambroſius *l. de Bono mortis c. 5.*

XIV. Alii imaginem Dei in immortalitate, & æternitate ſtatuunt, quam non ſolum animæ, ſed & corpora per Reſurrectionem habebunt. Ita Fauſtus Rejenſ. *l. 1. de Lib. arb. c. 1.* & S. Maximinus Martyr. *centur. 3. de Charit. c. 25.*

XV. Alii rationem imaginis reponunt in imperio, & dominatu, quo homo ſtatim conditus, inſignitus a Deo fuit in animantes, & Orbem univerſum. Quod declaraſſe videtur Scriptura *Gen: 1. v. 26.* dum ait: *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus Cæli, & beſtiis, univerſæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.* Hujus ſententiæ videtur fuiſſe S. Jo. Chryſoſt. *hom. 10. in Geneſ.* ad illa verba: Et præſit piſcibus &c. & Gregorius Nyſſenus *l. de Hominis Opificio*. Quibus conſentit Marius Victor l. 1. ſcribens:

Nunc hominem faciamus, ait, qui regnet in orbe,
Et ſit imago Dei: ſimilem decet eſſe creanti
Liber ad arbitrium fruitur, qui mente creatus.

XVI. S. Epiphanius *Hæreſ. 70.* poſtquam confutavit Audæanos, imaginem Dei in corpore humano collocantes, dicit, eam neque in anima, nec in virtute, nec in Baptiſmo, nec in re quapiam nobis cognita poſitam eſſe imaginis Dei rationem: *Nec eſt* (inquit) *ullo modo diffiniendum aut affirmandum, quanam in parte imago illa conſiſtat. Sed ineſſe quidem in homine omnino fatendum eſt, ne divinum beneficium tollamus e medio... Quæcumque enim ille dicit, plane vera ſunt tametſi nonnullæ ſententiæ ſint, quæ aciem noſtræ mentis effugiant.* Equidem in tanta ſententiarum varietate aliquid tamquam certum definire non audeo, ſed quid probabilius exiſtimem, aperiam.

§. III.

Sententia S. Thomæ.

XVII. Dico. Ratio imaginis Dei, quæ in homine eſt, collocanda videtur in anima, quæ una exiſtens, ac tribus facultatibus prædita, intellectu, memoria, & voluntate, divinarum Perſonarum Trinitatem in unitate eſſentiæ adumbrat. Ita ſentit D. Th. hac *q. 93. art. 5.* ubi ſtatuit, in homine eſſe imaginem Dei, & quantum ad naturam divinam, & quantum ad Trinitatem Perſonarum. *A. 6.* ſtatuit imaginem Dei eſſe in homine ſolum ſecundum mentem; quia ſolum ſecundum mentem repræſentat quantum ad aliquam ſimilitudinem ſpeciei, & divinam naturam, & Trinitatem Perſonarum; naturam quidem quatenus imitatur Deum non ſolum in hoc, quod eſt, & vivit, ſed etiam in hoc, quod intelligit: Trinitatem vero, in quantum in eo reperitur proceſſio verbi, & proceſſio amoris, ac proinde principium, verbum, & amor. Rurſus *a. 7.* oſtendit, imaginem Trinitatis in anima humana primo, principaliter attendi ſecundum actus, prout ſcilicet ex notitia format verbum, & ex hoc prorumpit in amorem. Sic enim magis repræſentatur Trinitas Perſonarum, quæ ſecundum actualem proceſſionem Verbi, & amoris diſtinguuntur. Ac proinde dum aliquando legimus apud bonos Auctores, per memoriam, intellectum, & voluntatem repræſentari Trinitatem; actus earumdem potentiarum intelligendi ſunt. Ex his tamen non ſequitur, quod in pueris, aut in dormientibus non ſit imago Dei: quia actus etſi non ſemper maneant in ſeipſis, manent tamen ſemper in ſuis principiis, nempe potentiis, & habitibus. Ideoque ex conſequenti ratio imaginis attenditur ſecundum potentias, & habitus. Et *art. 8.* docet, non in quocumque actu intellectus, & voluntatis imaginem Dei conſiſtere, ſed in eo ſolum, quo mens noſtra fertur, ſeu nata eſt ferri in Deum, ſive quo Deum intelligimus, & amamus; quia

imago